Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

~~.. y. 30~~

~~20 H 49~~

145 B 18.

niet plakken

(Boekband nr. 1790 A 104)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

229 B 28

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18



KONINKL.
BIBLIOTHEEK
TE 'S HAGE.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

FREDERICO
HENRICO
D. G.
ARAVSIONVM
PRINCIPI,
COMITI NASSAVIÆ, &c.
FOED. PROVINCIARVM PRÆFECTO, SVMMO TERRA MARIQVE MILITIÆ IMPERATORI

DANIEL HEINSIVS

D. D. D.

QVæ eodem anno, Imperator, ad memoriam ac ſupra fidem cæterorum geſta ſunt, illuſtri tuo nomini dicamus: ſine ambitu verborum, quæ nec domi nec militiæ ſpectantur. vbi, ſudor, labor, virtus, & director omnium qui cuncta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

gerit. Nec ſcribenti minor fuit animus, quam cæteris, qui ſpiritum ac ſanguinem periclitati tecum, inter buccinarum ſtrepitus mandata tua exceperunt, neque minor cura patriæ, ſub te inuictæ, aut pro eâ ardor. Cæterum, diuerſa magis ſtudia quam rebus veſtris aliena, alio duxerunt. vt, quæ miles tuus coram vidit, hoſtis ſenſit, cæteri ex vero legant. Nec poſteritas fraudanda fuit: cujus maxime intereſt, ne quicquam de virtute tuâ imitationi ſubtrahatur. Et jam tempus erat, vt immenſa opera, quæ cum horrore omnium, obſeſſam vrbem incluſerunt, voces admiratione adhuc & animos includunt, jam deſtructa, ne vbique intereant, in chartas transferantur. Exhibendum generi mortalium, quod locus vnus exhibere omnibus non potuit: ſpectandum, quod jam nullus habet. Quæ, vtcunque poſita in luce, ab autore ſingulorum, directore omnium ac Duce, cujus geſta perſe-

cuti

cuti ſumus, obſcurantur. In quo æque de integritate famæ tuæ, ac de magnitudine virtutis, cogitandum erat. cui multum detrahit qui auget, aut detractum hoſti vult, quo maxime augetur. Quare, ne præfari quidem vſitato more viſum fuit, ne infelix adulatio ad limen veritatis admittatur, aut hiſtoriæ, vel extra ſcriptionis ſeriem, jungatur, quod in eâ maxime vitamus. Non enim, vel præfando, fidem nobis detrahendam cenſebamus. Tuum eſt quodcunque leges, quia poſteris narrando tantum commendatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

Autor Libelli, cui titulus, Quomodo ſcribenda ſit Hiſtoria.

ΦΗΜΙ ΤΟΙΝΥΝ, ΤΟΝ ΑΡΙΣΤΑ ΙΣΤΟΡΙΑΝ ΣΥΓΓΡΑΦΟΝΤΑ, ΔΥΟ ΜΕΝ ΤΑΥΤΑ ΚΟΡΥΦΑΙΟΤΑΤΑ ΟΙΚΟΘΕΝ ΕΧΟΝΤΑ ΗΚΕΙΝ, ΣΥΝΕΣΙΝ ΤΕ ΠΟΛΙΤΙΚΗΝ, ΚΑΙ ΔΥΝΑΜΙΝ ΕΡΜΗΝΕΥΤΙΚΗΝ· ΤΗΝ ΜΕΝ, ΑΔΙΔΑΚΤΟΝ ΤΙ ΤΗϹ ΦΥΣΕΩϹ ΔΩΡΟΝ. Η ΔΥΝΑΜΙϹ ΔΕ, ΠΟΛΛῌ Τῌ ΑΣΚΗΣΕΙ ΚΑΙ ΣΥΝΕΧΕΙ Τῼ ΠΟΝῼ ΚΑΙ ΖΗΛῼ ΤΩΝ ΑΡΧΑΙΩΝ, ΠΡΟΣΓΕΓΕΝΗΜΕΝΗ ΕΣΤΩ.

HISTORICVM, QVALEM ESSE OPORTET, DVO HÆC, VT PRIMA, ADFERRE SECVM VOLO; RERVM POLITICARVM INTELLECTVM, DICENDIQVE FACVLTATEM. ALTERVM, VT INGENITVM NATVRÆ DONVM: DICENDI AVTEM FACVLTATEM, EXERCITATIONE MVLTA, PLVRIMO LABORE AC ÆMVLATIONE ANTIQVORVM, COMPARATAM.

CON-

CONSTANTINVS HVGENIVS, EQVES,
Dominus à Zuylichem, Illuſtriſſ. Arauſionum Principi
à Conſiliis & Secretis

DANIELI HEINSIO S.

NOBILISSIME DOMINE, Aſſerunt Elzeuirii, ad umbilicum properare Hiſtoriæ tuæ typos: ut breui nectar illud ſæculo propinaturus ſis, cujus ſaliente ſitim reſtinguere riuo, aridæ ubique literatorum fauces ardent. Hactenus conſultò preſſi, quem hic vides, ingenioli mei, neſcio an depudendi, partum: ſanè non nuper editum, ſed ut coætaneus operis tui initiis haberi poſſit. Adeò, poſtquam ſcribendi conſilium ceperas, de ſucceſſu nihil non magni auguratus, futurum in præteritis habui, & ſpondere mihi potui, quod, ſi ſperaſſem modò, aliquid infra te ſtatuiſſem. Serò tandem quod ſeriò ſcripſi. ſed, quod dicere cœpi, conſultò ſic impertior; ut, provectis operis, primiſque paginis expletis, videas, non obtrudi iſta tibi, ut populo obtrudantur. Quanquam inuidendæ ſortis eſt, tecùm prodire; me pridem (ſanctè profiteor) juſta ſatietas cepit leuidenſis gloriæ, quam ab hujuſmodi næniis olim aucupari otioſum decuit. Quâ ætate, quo loco, quibus negotiis ſum, fas aſpernari eſto, quorum non niſi ludibunda gratia eſt. Te, ut ſæpius monere ſtatui, ità nunc, tuâ etiam causâ rogo & Syluæ Ducis, quodcumque hujuſmodi præconiorum vel à doctiſſimis offeretur, reſpuas magnificè. &, quod ſumma eſt, rei arduæ, quia publicæ, majeſtatem deteri, ſiue, ut inſigni voce veteri utar, inuri his calamiſtris ne ſinas. Vale, Vir maxime. & Hugenii tui in his affectum, quando eruditionem non poſſis, amplectere. Hag. Com. XIV Kal. Mart. cIɔ Iɔ c XXXI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

In Viri ſummi

DANIELIS HEINSII
EQVITIS,
Ad Sylvam Ducis, alibiq́ue in Belgio, aut à Belgis, rerum geſtarum
A°. CIƆ IƆ C XXIX
HISTORIAM.

Fatalis anni ſæpè concuſſas vices,
Obuerſa fatis fata, nutantes Deos,
Dubiàque ſortem lance librantes diù;
Tandem Batauos, tripliciſque adoreæ
Frondem implicantes Frederico tàm ſuo
Quàm non Ibero durior laurus ſtetit:
Auri natantis, Occidentis viſcerum,
Vectæ Corinthi, Velleris Peruuii
Argo Batauæ ſponte ſubmiſſas rates:
Oppreſſa ciuis non ſepulti mœnia
Somno meroue; teſte Phœbo, pallidâ
Sorore, cumque ſiderum priùs choro
Fugatum Iberum; vi ſuperbos poplites
Flexos Batauâ, ſupplices ſævas manus,
Vitæque lucem, perditâ Veſaliâ,
Lucro putantum, mox pudore, mox metu
Ferri irruentis æſtimantium nefas:
Collapſa retrò ſigna, victrici fugam

Aquilæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

Aquilæ imperatam, ponte vix vno ſatis
Conſtante tot prementium veſtigiis
Trementiumque: detumentum Schetzium
Sub Frederico, preſſa retrò flumina,
Colles ſubactos, æquor ingeſtum ſolo,
Vallum procellis: Bergii ſegnes dolos,
Præviſa tela, colliquatam grandinem,
Serique tutò fulminis ſpretas faces:
Et mox vetuſta cæduæ cacumina
Succiſa Sylvæ, vindicatum patriæ
Decus, ſuperbam rebus adſtructam fidem,
Teſtatur ætas, quam videmus, & negat
Vidiſſe præſens, aſſeritque & ambigit,
Suſpenſa toto tota de miraculo.
Iam fluxa cœli puncta, denaſcentium
Momenta rerum, penè dum naſcentium,
Quâ vi moremur? excidit quod eſt, fuit
Quo nunc fruamur: abeſt magìs quod nunc adeſt:
Viciſſe parui eſt, ſi, quod eſt victoriæ,
Conſtat fuiſſe, nec Triumphus ſe capit.
Sic ſenſit ingens Heinſius, ſic entheus
Dictauit ardor geſtienti dexteræ:
Et, aſſeramus, dixit, æternum ſuis
Ducem Batauis: Fredericum poſteri
Coævum adorent: occupet mens & manus
Aeui ruentis improbè alatas faces:
Si Sylva vinci, ſi potuit Veſalia,

Si

Si veſper omnis, veſperi poſsint rotæ,
Auriga ſæcli poſsit, inuicti dies
Et fata poſsint, obruant nullæ vices
Veſaliæ parentis aut Syluæ vicem.
Victura verbis charta ſuffecit fidem;
Aeternus annum Scriptor includens ſibi,
Fecit perennem: faſcinata ſæculi
Momenta credas: neſciunt ſtellæ fugam,
Torpent gelatæ: quæ fuere, ſunt tamen,
Et ſtant futuræ: ſegnis obſtupentium
Amnis dierum repit: intentæ ſibi
Noctes morantur: omnis, aut retroſpicit,
Aut ceſſat hora, ſpectat, aut ſpectaculo
Proſtat ſequenti. Nil agis, præſentium
Egene ſemper & flagellator Deus;
Non omne ſæuo ſæculum indulget tibi
Quæ, quâ rotator fata quadrigâ vehis,
Detraxit annum juſtior tuâ manus
Valentiorque, ſiue quid plectro Deum
Certare, ſeu petorrito aurigam juuat.
En de triumphis hinc tuis, & hinc tuo,
Hic ductat Heinſius ſuum, hic dictat ſuos.
Fuiſſe Troas, Ilium, Teucros duces,
Nil Cecropis reſtare, nil Sidoniæ
Reliquum furentis: de tot aggeſtis ſolo
Saxis ſaloque, ſi vel hoc reduces velint,
Speluncam amantes non reperturos ſuam:

Non

HEINSIANAM.

Non eſſe Romam, non Quirinales deos,
Cadauer Vrbis æuiternæ, vmbram coli:
Tot rudera inter penè jam ſeptem ſibi
Latere colles: exules fruſtrà domi
Aras, & urnas, & penates quærier;
Hæc tu trophæa vindica ſis, hoc tuis
Ferox peremptor imputa damni rotis.
Naſſouium eſt, durare; bis Naſſouium,
Quod Heinſio debetur, indomabili
Annis triumpho, perpetis victoriæ
Lauro recenti ſemper, & ſemper nouâ,
Et gloriæ ſuperſtitem, & ſæclo, & ſibi,
Perenni adeſſe poſteris præſentiâ.
Cum ſe fuiſſe, quidquid eſt, aut jam fuit,
Aut in futuri nocte concubiâ latet,
Poterit fateri, ſiue nolit, obſitum
Annis ſituque, ſic fatebitur tamen,
Hoc, ſoſpitantis Heinſii præſens ope,
Hoc vis Matancis facta, pax Sicambriæ,
Hoc Sylua dicet, hoc Veſaliæ dies,
Hoc FREDERICVS VICTOR, *hoc Batauï; ſumus.*

CONSTANTER.

INDEX

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

INDEX

Typorum ac Delineationum, quæ locis ſingulis inſerendæ.

Tabula Ditionis Syluæ-Ducenſis. Fol. 22.
Typus circumvallationis caſtrorum ad Sylvam Ducenſem. Fol. 27.
Agger Hollandicus. Fol. 36.
Caſtellum Iſabellæ. Fol. 38.
Caſtellum D. Antonii. Fol. 39.
Acceſſuum, per quos ad Caſtella tria Vrbemque è caſtris ſingulis appropinquatum eſt, delineatio. Fol. 40.
Caſtellum Pettelanum. Fol. 41.
Vinea magna. Fol. 103.
Tabula agri Veſalienſis. Fol. 115.
Veſalia. Fol. 116.

DANIE-

SVMMA PRIVILEGII.

FOederatarum Prouinciarum Ordinibus viſum eſt, ne quis opus, cui titulus *Danielis Heinſii rerum ad Syluam Ducis atque alibi in Belgio, aut à Belgis, geſtarum anno* cIↃ IↃ c XXIX, *Hiſtoria*, præter Bonauenturam atque Abrahamum Elzeuirios, juratos Academiæ Lugduno-Batauæ typographos, quâcunque formâ, quà majori, quà minori, vel ipſe, vel per alium, excudat excudive curet, aut excuſum alibi intra ſeptennium, in his Prouinciis diuendat, ſub pœnâ quæ ipſo diplomate exprimitur; dato Hagæ Com. XIX. Martii cIↃ IↃ c XXXI.

Beaumont v^t.

Ex mandato Illuſtr. ac Præpot. D D. Ord. Fœderat. Prouinc.

Corn. Muſch.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

DANIELIS HEINSII
AD
SYLVAM DVCIS
rerumque alibi in Belgio geſtarum anno CIↃ IↃ CXXIX
HISTORIÆ
LIBER PRIMVS.

BELGARVM POPVLO, quem Fœderatum ſui nuncupant, ad defendendam libertatem, nunquam animus aut virtus defuêre. quanquam neque ſemper eadem aut hoſtium potentia, aut vires noſtræ, aut pro nobis ſociorum fides. Arma quoque ad tempus poſita, aut denuo reſumpta, ſpatium virtuti ac gerendis rebus exemerunt. Neque artes vnquam aut vberius aut melius quam inter arma prouenêre. aſſurgentibus feliciter vbique ingeniis: quæ prima omnium in ſeruitute deteruntur. Quippe, vt corpus, ita libertate animus firmatur. quem contactum veritatis metu, mox ad morem adulandi enervatum, fruſtra ad poſteritatis reuerentiam attollas. conſuetudine aut ſpe oppreſſus jacet. Vim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

imperii ac poteſtatem Patres, Præfecturam Principes Arauſii tenebant. Quorum décora ac res præclare geſtæ, cæterorum in ſe animos conuerterant. Wilelmo Mauricius ſucceſſerat. Sub quo tranquilla primo omnia ac læta; neque vlla, niſi ex Hiſpano, gloria aut metus. Ante exitum haud pauca, quæ aduerſa rebus. Bellum cum propinquo hoſte, & aſsidua in manu arma. ſimultates domi, tanquam nullo. & hinc partes. Quas nonnulli, acrius quam par eſt ſtudiis provecti, cum ſuorum odio, nec raro Reipublicæ, tuentur. in quâ licet nunquam deſit quod accuſes, apud quoſuis addictiſsimus habetur qui præſentem mauult. Ad quam emendandam, ſatis eſt, ſi proceres aut Princeps, cogitationes vortant: plebes, imperantium obſequia, ac legum, ſibi ſeruet. quæ immodica, aut alia ſubinde appetens, licentiam ex libertate, noua pro veteribus exoptat. Sapientes autem quam perfectam arbitrantur, intra votum ac doctorum placita conſiſtit. Nec ærario, qui ante, vigor. quod cum rebus deeſt, nihil publice procedit. niſi callide, quod deeſt, exigatur, populare ſtudium auertit. quo, & domi & aduerſus hoſtem, opus. Neq; eadem ſub Principe, & in plebe, ratio aut modus. Ibi quippe, violenta quoque, ſub neceſsitatis nomine ac autoritate, tolerantur. & lex omnium majeſtas. Hic momento ab obſequio recedunt, qui æqualitatem putant, non parere: nec diſsimiles exiſtimant, quos aliquando pares habuerunt. Si præſertim vitæ inſtrumenta ac laborum precia tangantur. quæ priuato metiuntur, qui de omnium ſalute, niſi in diſcrimine, non cogitant. nec recte impendi, quidam in privata vorti arbitrantur, niſi quæ in manu habent. Accedebat Gallia

lia, ciuili bello, ſubito diſtracta; per quod nec ſubſidium ſperari rebus noſtris, & vix ferri, niſi cum invidiâ aut damno vtriuſque, poſſet. Opem Rex, tot annos fœderatus, & qui ferre poterat, ex jure depoſcebat. Alteri commiſeratione digni videbantur. & relligio adducebatur. quam non pauci ex occaſione opprimi gaudebant: quidam, ne daretur, minus provide cauebant. neque quiſquam, quæ commotis animis aut properando parum caute gerit, niſi poſt eventum, videt. Quæ proceribus haud parum curæ: & hic animos habere. Vulgus, cui quidvis expeditum, in diuerſa à prudentibus abire. neque deerant tribuni. Accedebat his Germania, diſtracta per diſcordias ſuorum ac diuiſa, donec bello opportuna eſſet. Quæ tentata pariter atque expugnata; poſtquam ſoli ſupereſſent, qui nec ſeruitutem ferre, nec tueri libertatem poſſent: cæteris oppreſsis, ſine vllâ ſpe, niſi quam in hoſte haberent. cui magna pars ac potior exilii calamitatem prætulêre. Quorum agmen miſerandum, hic aut alibi ejectum, inopes, extorres, neminem humanæ ſortis parum memorem ſinebant. Inter quos Rex Bohemorum, qui, cum conjuge ac liberis, haud pridem Palatinâ ditione ac ſceptro pulſus, quaquâ incedebat, ſolis hoſtibus acceptum majeſtatis afflictiſsimæ ſpectaculum præbebat. quanto infra dignitatem, tanto magis miſerationi aut judiciis expoſitus: Auſtriaci ſplendoris ac potentiæ, è bellicoſâ Germanorum gente, nunquam ante oppreſsâ, incrementum ingens. Cui relliqui intenti, quibus prima ſui cura, aut pro eâ cæterorum, aures alio ac mentes diuidebant. Neque à contemptu noſtri, per ſe, aut ex Hiſpanorum arte,

procul aberant nonnulli. nam exiſtimatio cujuſque,
pro ſucceſſu aut fortunâ modum habet. Quanquam
neque noſtris deerant quæ minus læta eſſent. Inter
prima quidem Breda, paulo poſt virtute magni Du-
cis expugnata. cui ex ſecuritate noſtrâ ac felicitate
hoſtis, aliquid nonnulli acceſsiſſe exiſtimabant. Et
ſecuta aliquanto poſt mors Principis, calumniandi
anſam dedit; quaſi ad vim morbi mœror acceſsiſſet.
De quo, vt compertum nihil affirmamus, ita animum
tam alte ſitum, tot victoriis rebuſque, quantis nemo
hac ætate, compotem, adverſa quoque ſæpius exper-
tum, ſupra caſus ac viciſsitudinum incerta conſti-
tiſſe haud dubitamus: quanquam forte haud ne-
ſcium, initio nonnulla anteverti potuiſſe, quæ mox
fruſtra tentarentur. quod, ex more vulgi ac inge-
nio, in maius ac maligne auctum. Apud hoſtem, im-
penſarum magnitudo, precium victoriæ exceſsit. id-
que inprimis cognitum, amiſsâ Ducis Syluâ: & quod
mox egendum. Principis interitum, diuerſi aliter at-
que aliter tulêre. Quorum alii, recenti adhuc luctu ac
dolori indulgere. cauſas publicas ac ſuas, apud notos
„ ignotoſque profiteri: Cecidiſſe Patriæ parentem,
„ hoſtium terrorem ac formidinem, ingentem pace, in-
„ victum bello: non ſucceſſu ad temeritatem, non pru-
„ dentiâ ad ambitum aut magnitudinem abuſum. pro-
„ ſperum ac circumſpectum. qui vincendo vitæ ſpa-
„ tium æquaſſet. Non receſſu aut ſecreto metuendum.
„ Soli Reip. amicum. & aduerſus eam, nulli. Quidam
digna atque indigna, vt in plebe jam diuulsâ, loqui.
quæ prudentioribus inviſa. Contra, quibus major,
aut pro publicâ tranquillitate, animus, ſalubria ac
„ magis profutura diſſerebant. Penes Patres, qui cum

Vide eruditiſſimum Hermanni Hugonis De Bredanâ Obſidione Commentarium.

laude maximâ tot annos præfuiſſent, libertatem eſſe
ac rei ſummam. & offerri ſucceſſorem, domi ac mi- ”
litiæ à fratre educatum; tot bellorum, tot victoriarum ”
comitem, ac ſæpe cauſam. magnam partem rerum ”
quas geſſiſſet qui ereptus eſſet. Huc vertendas ſpes, „
huc animos. Mortaleis interire. Spem ſalutis, non in „
vno, qui hac lege natus eſſet, ſed in ſanguine Naſſa- ”
viorum ac virtute, reponendum. Id fatale rebus no- ”
men. id auſpicium aduerſus hoſtem. Ibi cogitatio- ”
nes, ibi vota defigenda. ibi finem lacrymis peten- ”
dum. Id tot annos munimentum patriæ ac vallum „
dari. Iis ducibus, à vitâ ac corporibus auerſam ra- „
biem, ac formidatum Indis quoque, Hiſpanum no- „
men. Cujus vires, quibus vniuerſus orbis par vix ”
eſſet, circa punctum terræ conſtitiſſe, aut retuſas ”
hactenus hærere. Quaquâ Soli via eſſet, mare jam ”
commerciis & armis penetratum. extra ipſum quo- ”
que & homines, virtutem locum inveniſſe. Iis du- „
cibus, prolatos primum fines, primum Reipublicæ „
honorem auctum, quam per fœdera tot Reges Prin- „
cipeſque ſibi jam æquarent. Ab iiſdem maximos ”
exercitus virtute cæſos, vrbes plurimas celeritate ”
ſummâ expugnatas, neque pauciores feliciſsime de- ”
fenſas. Patrem primum (quantulâ tum manu!) rem „
conſilio fundaſſe. Filium deinde, natu alterum, tot „
prœliorum, tot obſidionum maximo ſucceſſu ac „
prudentiâ, auxiſſe. Nunc cum bono omineample- ”
ctendum, qui ejuſdem ſanguinis atque animi, nec ”
impar alteri eorum, tot annorum bello finem daret. ”
Traducem Naſſouiorum ac Coligniorum: tot he- ”
roum veram ſubolem ac ſtirpem. inter ſuos natum. „
Succeſſorem fratris, ſocium, hæredem: patrio cruore „

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

„ in cunis pene aſperſum; rebus noſtris ac ſaluti pu-
„ blicæ innexum cum principiis viuendi. Inter quæ ſucceſſor deſignatus, foris in molimina ac famam hoſtium intentus, domi in diſsidiis ſuorum leniendis totus eſſe. Quas componi cum non minus Patriæ interſit, aliquanto plus diſcriminis, turbatis animis multorum, atque in plebe, habet. vitio humanæ mentis, quam ſecunda facile committunt. & ſolenne, cum in partes itum, nocitura malle quam non ſuſpicari. Quo ab iris acrioribus ac longis, aut, cum publicæ offenſiones interveniunt, facillime tranſitur. nec judiciorum cuiquam rationem reddunt, qui hoc libertatis partem credunt. Primum ſpecimen virtutis Grolla fuit; ante annos aliquot à noſtris expugnata, mox amiſſa: dein parum proſpere tentata. Oppidum id vetus, firmo recentique opere munitum ac præſidio, Matthæus Dulquius, vir impiger militiæ ac prudens, tum tenebat. Nunquam acrius certatum eſt. cum alter, nominis antiqui memor, aras, liberos, ac focos, ſeque ac ſua, alter gloriam periclitantem ac fraternæ æmulam, ſub Patrum oculos, qui cum conſilio ac poteſtate miſsi fuerant, vbique præſens ipſe ac omnium quæ gererentur dux & autor, tueretur. Nam de Oldenſalâ, quod obſcuriori famâ eſſet, pauciores loquebantur. Anni aliquot ſequentes, rebus ſociorum ac legationibus ſine armis dati. Nec Hiſpanus abnuebat. cui alibi tot bellis ac ſubſidiis diſtracto, graves cauſæ ab ærario anguſto accedebant. Quod occultum (etiam cum ceſſat aut videtur) rebus promouendis inſtrumentum habet. Cæterum interior ab Indicâ ſocietate ad Occidentem metus. quæ illuſa primum

atque

atque in ſcenis agitata, tum ſepoſita ad dominationem penetrabat. Hiſpanorum gentem, ad ciuiles curas natam, multi ſciunt, plures ſentiunt, nonnulli importune profitentur. Qui plus pollent, callide, ac factis. quos, ſeu bello opus eſt ſeu pace, apud ſuos clam obſtrictos habet. per quos, tanquam neruos, arma cæterorum ac conſilia flectuntur; efficacia eorum quæ delinquunt ſinguli, ad vim imperii vnius redit. &, quod fati inſtar cauſas ignorantibus; pro eo ſæpe Reges procereſque, quem impugnant. Occurrebat ibi animis prudentum, nouum ac continuum ſic inchoari bellum. quod vtcunq; terrâ toleratum, mari viribus ac copiis acciſis, poſt tot annos, onerari. ante omnia expertis, tardam ad imperium vnius viam, ſuperare copiis aut vinci. plus occultâ liberalitate profici quam bello: & momentum vnicum ad ſeruitutem omnium, emptorem ac venales. Accedebant gens fortiſsima Mattiaci, ad eadem intenti. quorum aliqui priuatis quoque opibus inſtructâ claſſe, mare quaquâ vorſum infeſtare: quicquid obuium ab hoſte, haud ſecus atque auitum, inter ſe partiri. Quippe aſsiduo contactu lucri ac ſucceſſu, ſpes gliſcebat. Belli jus vocabant. quod cupiditati noſtræ patrocinium repertum, raro minus late quam hæc patet. Quæ Hiſpanus indignari. Erant, qui majore motu animi jactarent, Quicquid apud Belgas » eveniſſet, nouum ſibi hactenus relictum orbem, quo » clam vniuerſum temperarent. Natas belluas in ſuo, » quas non nomen Regium ac ſplendor, non naturæ » occultantis ſe ac fugientis abdita, à rapto prohibe- » rent. Fineis rerum manu ſuâ ac virtute penetratos. » nec deeſſe qui ſequantur. Quorum auaritiam, ex ſe »

*Caepvaerders.

ingen-

„ ingentem, ſuis opibus atque auro, vltra terræ ambi-
„ tum ac metas inuitari. Indiam ad Ortum, ante an-
„ nos aliquot perruptam: alteram nunc cœptis deſtina-
„ ri. Terras, armis ſuis expugnatas, ſuis ceremoniis
„ imbutas, à rebellibus inuadi. Bellum, quod finiri,
„ ſuâ maxime referret, ſuis ſumptibus ac prædâ ali.
„ Furias ac laruas ſibi datas, quas, vt alias nocentium
„ corporibus, fortunæ ſuæ comitari. Purgamenta pa-
„ triæ ac ſordes: quoſdam pœnas aut ergaſtula elapſos.
„ quorum vſus auerſata tellus, in calamitatem maris,
„ atque in ſe, eructet. A contemptu Regis cætera ori-
„ ri: cujus copias atque opes, tanquam fato jam de
„ functi, priuatorum quoque manibus diſcerpi. Nu-
„ mini id curæ fore. qui neglectum ſui Principumque,
„ majeſtatis jure vindicaret. Ea inter, fine anni proxi-
me elapſi, ad vicinos primo, mox ad nos delatum, claſſem ex Hiſpaniâ, quam Nouam dicunt, quę fortunam anni ac bellorum contineret, Cubâ inſulâ haud procul, ad Metançæ poſitum, cum opibus ac prædâ cæterâ, in Batauorum poteſtatem conceſsiſſe. Nihil tali animo vtrinque acceptum. Neque diu hic dubitatum: fide ſemper in ſpem pronâ; etiam cum errat. Primam virtus ducis, omnibus perſpecta, fecit. Viro, Petro Petri nomen. quem pleriq; Heinium, corruptâ voce Henrici, dicunt. Nam memoriam parentis, pro cognomine, ex ſimplicitate antiquâ, Batauorum mos vſurpat. Is vicino loco, quem Delphorum Portum dicimus, majoribus ignotis aut obſcuris genitus, in mari, ſæpius irato nobis (nam hybernum olim claudebatur) inter ſcopulos ac cautes enutritus, puppis regimen, terrarum ſitus, ventis ſuis vti, aut aduerſos moderari, ac pro iis aut intendere aut laxare pedem,

quæque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

quæque alia ejuſdem artis rudimenta ſunt, à paruo doctus, ſenſim ab humillimis nautarum muniis, ad altiora fuerat provectus. Vbi animum, per ſe audacem, horror efferati maris, neque vnquam aut ab tempeſtate aut ab hoſte quies, & obſtructa quâlibet ex parte fugiendi via, ad quoſcunque caſus magis aſperarat. Accedebat ad hæc odium Hiſpani: quo armare plebem domi quoque mos eſt. Cujus cauſæ illi propriæ ac graues. ſuæ autem cuique tales, cum ad publicas accedunt. Captum annos plures in Hiſpaniâ, atque vna cum parente, natu magno, dure habitum ac ſtricte, pervulgatum. vbi corpore vecturas onerum feciſſe, cæteraque per ludibria adactum quæ indigne generoſis tolerantur. Sunt qui flagris ac verberibus de tergo, more barbaro, ac liberis inſolito, conſultum ferunt. Hinc impoſitum triremi, ac cum cæteris, quos eâ tempeſtate Spinola Aurelius tenebat, Sluſam Flandriæ advectum: dein libertati redditum. quo tempore Mendoza Arragonius, captiuum quemque è noſtris, reddi ſuis è convento juſsit. Iterum in Indiâ ad Occidentem, captum, poſt biennio dimiſſum. Ita per duriſsima paulatim, ad faſtigium fortunæ eluctatus. quam nec per ambitionem invitabat, nec vt aſſeclam virtutis ac diſcriminum, dedignabatur. Obſeruatum his temporibus, nonnullos ad virtutem cogi, quoſdam efferari. neutrum ex re hoſtis. Neque aliter ad bellum, quo tot annos decertatur, Belgas deueniſſe. quos, cum primo quidvis ferrent, ſeruitutis vi impulſos, vt felices eſſe auderent. ſiue Dei, ſeu naturæ lex eſt, omnibus recepto, vt qui juſta negat, quidvis fortioribus in ſe permittat. nec factorum ratio cum hoſtibus puta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

tur: quos arcere, vt non tuliſſe, liberæ virtutis præmium ac munimentum. quod expertos, fruſtra ad obſequium ac veterem fortunam trahas. Acceſſêre irritamenta plebis; ex Hiſpani odio ac propriâ virtute, lucrum: & humanis cauſis ac ſpe primâ amplior ſucceſſus. quêis in longum bella protrahuntur. Sub nuperrimâ ſocietate, cui nomen dederat, Præfecti vicem gerens, vrbem S. Saluatoris in Braſiliâ aggreſſus, inter primos terram preſsit, ac deſertam Luſitanis expugnauit. Ante circiter triennio quam mari hic præficeretur, ex occaſione venti, ad eundem portum denuo delatus, claſſem nauium ſex & viginti, caſu deprehendit. quæ ſub vrbis mœnia, tormentis quoque propriis munitæ, ciuitatis inſuper defendebantur. Quam arx valida ac noua prætexebat. Curſum huc intendi imperat. Præfectus vrbi Ludouicus Oliverius Hiſpanus erat. Aduentanti noſtro, proximæ Prætoria Vicariaque hoſtium. Arrectâ ciuitate quo tam audax facinus abiret, paucis, vt mos viri, verbis apud ſuos vſus, jaci anchoram ac ſiſti jubet. Locum medium, vtramque hoſtilem inter, ſolus atque à ſuis adhuc deſtitutus, capit. vix vt teli jactu modico abeſſet. Diuos loci homineſque, res ſpectare videbatur. & Hiſpani contumelias poſt mortem habent. Ipſe, inter vrbis ac duarum nauium tormenta medius, pulcherrumum ſpectaculum præbebat. neque prius abſtitit * Vicariæ affixus, quam victoriam confeſsis extorqueret. tribus fere ex omni militari manu tantum ſuperſtitibus, quos recipi cum prædâ viſum. Et exemplum mox Prætoria ſecuta. Cæteras, quæ ſupereſſent, ſociis, quos ventus jam aduexerat, diripiendas dedit. nam majora tantum laudi ſuæ reſerua-

* *Vice-Admiral.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

reſeruabat. Eo loci res jam erat, cum certamen maximum reſtaret. Nauem hactenus victricem, in complexu vrbis, quinque & viginti hoſtium tormentis vndique perfoſſam, mare, tanquam gloriæ iniquum, deſeruerat, vt vado jam hæreret. Nec prodeſſe nautæ, qui leuandæ, jactu onerum nequiquam ſuccurrebant. Ita nox exacta. Quâ elapsâ, idem iterum tentato, ac trajectam vndique comperto, prædam tolli, ignem iniici ac concremari mandat: ne quid hoſti ſupereſſet. Ipſe, quattuor ex omni numero hoſtilium delectis, prædam omnem huc transferri curat. quam ad ſuos propere dimiſit. Cæteras, vel expeditas maximè, vel validas, aptari armamentis, reficique ac ſequi, relliquas exuri jubet. Ita denuo inſtructus, mari toto libere vagari. Cum è Luſitanis ſedecim, quos ſocii, interiora Baiæ indagare juſsi, captos attraxêre, intellectum, quattuor hoſtiles, cum ingenti prædâ oberrare. neque dubitatum, quin vicinum flumen, metu ac ſpe fugæ, occupaſſent. Nomen fluuii, ſeu arte, ſeu ingenio captorum, forte & ignorantiâ, ſuppreſſum. Quæ res curam ac conſilium Præfecti acrius intendit. & compertum, prope inſulam Maréam eſſe. Ad cujus oram, quæ ad Occidentem, naueis tres in ſtatione locat. Ipſe flumen proximum ad Aquilonem petit. Aliquantum fluuio prouectis, duæ, ſub obtectu arborum, anguſto ſinu latitantes viſæ; nullo magis quam deficientis aquæ beneficio munitæ: quo haud minus mille paſsibus defendebantur. Lintres ac minores ſcaphæ, manu militum inſtructæ. quibus, vna primum, luce proximâ, tres relliquæ oppreſſæ. Hæc gerenti, hoſtis cum præſidio, ex vrbe proximâ, quæ S. Saluatori ſacra, collem ad os fluuii, quâ ſolus noſtris

exitus cum ſpoliis dabatur, vallo ac operibus præcludit. Vrbi tum præfectus, cum duobus Hiſpanorum ducibus ac manu ſuâ, fauces inſidet ac munit. Ad hæc nauis, vado tenus alueo impacta, è conſilio hoſtili, viam eximebat. niſi quod virtuti vltra vim humanam quidvis peruium. Injectâ naui flammâ, iter patuit. Aduerſum hoſteis, aliud repertum. Boum terga (quippe è prædæ copiis pugnandum erat) aliquot ad manum. quibus noſtræ ſubito munitæ. Ita, nullo vulnere, incredibili ſucceſſu, vis atque ictus obſidentium eluſi: fluuioque elapſus ipſe, præmia victoriæ ſub oculos ſpectantium eduxit. Anno hujus ſæculi vigeſimo octauo, ſub auſpiciis iiſdem, cum viginti nauibus & vnâ, mare, vt ante, ingreſſo, ad Septembris fere octauum, claſsis ex Hiſpania, quæ Noua fertur, in conſpectum venit. cum pleræque è noſtris, vento diutius diuulſæ, vires, tanquam numinis decreto, pridie junxiſſent. quæ res ingens gaudium Præfecto, majus tamen opportunus hoſtium occurſus tulit. Quod indicio Hiſpani, qui ignarus noſtris ſe obtulerat, compertum. quem recepta lembis ſociorum manus, omen ſimul ac initium victoriæ, inuaſit. Spe accenſi, cui nunquam ſatis feſtinatur, quiſque in corbem pro ſe niti, viſu quiſque ac proſpectu pelagus metiri. Intuentibus, viginti vela eminus oblata, ſpem ac fidem intendêre. Neque dubitatum, quin quod votis quiſque deſignaret, ſors & fatum patriæ offerret. Conuocantur ſocii nauales, animoſa gens ac caſibus infracta. Ferro ipſe toto corpore munitus, animi ardorem vultu teſtabatur. ex memoriâ indignitatum, ac vindictæ ſpe oblatâ, oculis acerrumis ſcintillæ abſiſtebant. Ita, quo aduerſum hoſteis expeditior

peditior alacriorque foret, ſaltu proximum in lembum ſe permittit. quorum aliquot inſtructi ſclopis ex mandato aderant. Ibi cuncta amplius quam erant ſuſpicatus, manu geſtu, voce, ad ſuos, Tempus, in- » quit, Socii, optatum adeſt. Claſſem iſtam & inſignia » videtis. Prædam ne conſpiciatis, ipſa adhuc celat. » Quam, ſi viri eſtis, manu eruetis. Non è terræ venis, » aut profundo mari, hercules, vt iſti, qui hæc nobis » peperêre: ſed audendo. Neque enim Deus ſirit, vt, » quod ſponte offertur, metu aut ignauiâ cujuſquam » elabatur. cujus partem quiſque ſibi dabit. Nec exem- » plum moriendi aut virtutis deeſt. heic vtrunque ha- » betis. Tum in claſſem proxumam converſus, Libertati copias atque opes, hoſti egeſtatem, fugam ac ter- » rorem, eo die, eo prœlio, parari, dixit. Poſt quæ nu- » minis præſentiam ac pacem veneratus, tanquam ad certamen, ſocios inſtruxit. Nuſquam magis patuit, audendo cætera parari, nec facilius poſſeſſa hoſtibus quam confidentiâ transferri. Nauium primariæ, *Prætoria, cum alterâ † quæ locum dignitate proxumum tenebat, ante cæteras oblatæ. In hanc, ad quam primo ventum, validam armatis, manuaria tormenta aliquot diſploſa. Imperator, vocem maxume efficacem ab humanitate, addi juſsit, Saluam iis vi- » tam, cæteraque, ſi ſe dedidiſſent, fore. & pro nobis » pauor, atque ex arte ſpes oblata, fuit. Miles, vt fortuna dabat, potius conſilio quam vi agendum ratus, poſt deliberationem, prædâ ac victoriâ conceſsit. Proxume Prætoria oblata. quam adorti vi majore, additâ eâdem voce, quæ ad ſpem ſalutis traheret, huc perpulêre, vt abjectis armis ac deſertâ pergulâ, conſilia conferrent. Interim Hiſpanus quidam, cæteris ferocior

* *Amiral.* † *Vice-Amiral.*

cior ac nandi arte fiſus, cum ſe mari commiſiſſet, ex audaci fugâ revocatus, ac de numero ſuorum reſpondere juſſus, Centum quinquaginta ſupereſſe, dixit. Qui cum aliquot è noſtris eveſtigio ad ſuos miſſus, vt, ſi ſe ac ſua dedidiſſent, veniam ac fidem publicam offerret. Quâ acceptâ, in deditionem conceſſêre. Poſt quas, vinci cæteras non puduit. Ita, nullo prope hoſtis, nullo ſanguine noſtrorum, prædâ maxumâ potiti ſumus. Nec quærendus diu è ſociorum plebe, qui per funes nauticos enixus, manu properâ Prætoriæ inſigne, ſuperati hoſtis ac triumphi fidem, Duci raptum exhiberet. Quo arrepto, Et tu (nomen ante effatus) macte animo virtute hac, inquit, eſto. Idem alii in cæteris mox auſi. nec cujuſquam virtus, aut neglecta, aut immodice taxata. Precio, remiſſa præter ſolitum ſeueritas, acceſsit. quæ res diſciplinam firmat. & in gente noſtrâ, parſimonia pro cenſu. Imperator, militem Hiſpanum, ne certamen ſtudio prædandi ortum, animos committeret, in terrâ ſiſti atque exponi jubet. & nox imminebat. Addam, quod nec pro ſeueritate ſcripti, neque è more Romanorum omittendum videbatur. Gratulationem primam, auis voce accepimus. Erat pſittacus in prædâ, more humano verba aliquot conari doctus: qui, argenti ſtrepitu, quod loco mouebatur, ad hilaritatem excitus, tumultu vocis lepido, Victoriam, ac cætera, in ſaluo, nunciauit. Vox audita, ludo ſociis ac voluptati fuit. Nec de fide dubitabant, qui immaneis copias intuebantur. Auri & argenti, facti atque infecti, & quæ horum precia æquarent, merces plurimæ ante oculos atque inter manus verſabantur. quibus regnum expugnari poſſe,

poſſe, pubes nautica, ac miles operæ haud parcus æſtimator, prædicabat. cæteri, plus Deo immortali, quam præſidiis humanis aut virtuti, tribuebant. De prædæ magnitudine inter omnes convenit. de precio haud æque. Nono ineuntis anni, Imperator, Goderéam, vndecim ſtipatus nauibus, aduênit. Quattuor ad Zelandorum littora aut portus appulêre. Vna Moſæ alueum tenebat. Octo relliquæ, in Britannorum portu, quem Plemudam vocant, ſubſtitêre. quæ & ipſæ mox ſecutæ, atque ingenti gaudio exceptæ. Plebes per ſe inquies ac ferox, nunquam minus temperare. Quaquâ pedem poneret, immenſi populorum fluctus pone attrahebantur. Domus, tecta, viæ, aditus compleri. Plures occurſare. quidam prehenſare dextram. Publice acclamari, Maris ſcopulum, terrorem Indiæ, Hiſpaniæ procel- » lam, aduenisſe. Pridem nihil rectè ibi geſtum. Vi- » gilarent quibus cura rerum, atque obliti cæterorum, » quos propinqui, nulla virtus commendaret, viro » ex ſe genito, in mari, inter ſanguinem ac ſæuas tem- » peſtates educato, quicquid recte vellent fieri, man- » darent. Nuſquam fide minus dubiâ probatum, » maxumum ad vulgi animos momentum, ſua cuique eſſe. nam majora, nullo prope geſſerat applauſu. Ipſe, raro oſtentator ſui, Indicâ ex prædâ torquem collo circumdederat: vt laudis celebratæ monumento, popularitatis apud ſuos gnarus, per ſe excitatos commoueret. quo fulgentem, vt victoriam intuebantur. Quæ breuiſsime, vt extra anni ſeriem, à nobis memorata. tum, ne magnitudo verbis adæquata, fidem in periculum adducat. Quanquam res pleraſque noſtras reputanti, Græcis Romaniſque

haud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

haud minores videbamur. Cæterum, dicendo ſuperati ſumus. ex quo eloquentia, vt omnes artes bonæ quêis priſcorum virtus nitebatur, ambitu ac ſtudiis pecuniarum poſthaberi cœpta, vſum, cum fautoribus atque optimorum gloriâ, amiſit. neque omnibus aduerſus ſæculum mens ſemper conſtat. Adde, quod virtutes nuſquam minus quam in populo tuentur locum. quas malignus, ex æqualitatis ſtudio, contemptus, mox obliuio, inuadit. Et ſcriptoribus, vt cæteris, ſublatis laudibus aut paribus, ignauia obrepit. Cujus cauſas quiſque ſibi probat. cura poſterorum pro deſertâ jacet aut neglegitur. juuentus, majeſtate ac ſplendore veterum illecta, ad incuriam virtutis patriæ deflectit: relliquorum animi, ad quælibet parati, & antiquitati pares, ab agendo, ac præclara aliorum facta celebrando, auertuntur. De ſupremis viri mox dicendum. Sub ver primum, ſermo varius de bello: quod, vt cætera, plerunque fama antecedit. Quorum plurimi, vt auida futuri plebes, vrbem pro ſe quiſque in circulis ac foro, ſpe ac votis deſignabant. cæteras plerique, præter eam, quam judicio complexus imperator noſter agitabat. Bredam alii aut Hulſtam. erant & qui Lingam mallent. Plurimus & de obſidione Antwerpianâ rumor: nec ingratus. ſeu voluptas ea plebi, à prudentioribus objecta. ſeu excogitata ocioſis; oblectatio cujuſque, & occaſio ſermonis. Quidam & autorem famæ (vſitatum vulgo) Principem laudabant. qui & dubitandi cauſas apud hoſtem clam augebat. Tres primarii Præfecti, Lingam vnus, Syluam Ducis alter, tertius Veſaliam præmiſsi. qui acceſſus ſingularum, habitus ac ſitus; quæ obſidionibus ſecunda aut iniqua, perluſtrarent.

Appro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

Approbatis æque quæ referret quiſque, de obſidione ſingularum, ſingulis perſuaſum. ex quo omnia incerta noſtris, neque aliter ad hoſtem dimanarunt. Ipſe, in futurum prouidus, celare cuncta ac verſare ſecum: non ignarus, profutura rectius ab vno dirigi in populo, ſi ignorentur. tum à pluribus, impune, ſæpe & ſine inuidiâ vllius, nunquam ſine noxâ Reipublicæ, peccari: dum arcana, quæ amicis ſine curâ reuelantur, à maleuolis ad hoſtem rapiuntur; qui ad proprias occaſiones trahit, quicquid ante tempus euulgatur. Apud Patres, circumſpecte ac prudenter. nec diſsimulare cuncta: & de tribus vrbibus, aut aliis, fateri. vt auctoritas conſtaret, nec deeſſet fauor atque aſſenſus, quo tum opus. Neque cauſæ, quæ pro ſingulis, celari. etiam de ipsâ, parce, & apud primos. Addebatur, quantum Reipub. totius, quantum Geldriæ, Batauiæ, tum Trajectinæ ditionis, intereſſet, quibus maxime vicina. quod excurſionibus quotidianis, omnibus jam ſatis, proximis, plus nimio, compertum eſſet. De difficili acceſſu » ac munitione, ſibi quidem haud ignotum. cæte- » rum, nec numen rebus Belgicis tot annos æquum, » nec virtutem ſuis defuturam. Forte & inter cauſas ipſa difficultas, quæ diſcrimen irriti moliminis, ac toties tentati, ſpe vberioris gloriæ penſabat. Inſtituto Ducis, ignorantia ac æmulationes aduerſarum partium fauebant: quas cum Belgis ſuis acrius quam prœlia cum hoſtibus Hiſpana gens exercet. Ad quos nullus, niſi per ſecuritatem, aut ignauiam, acceſſus. nam intentos arma facile tuentur. Accedebant tum & alia, haud minus læta. Capta claſsis atque aduecta, quæ, tentandis rebus animos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

ac neruos ſponte adferret. Vnde egeſtas publica ad hoſtem. & ni æs ad manum, turbidus, atque aſpernari juſſa certus, vt plerunque, miles. Cæſaris à Dano; in Italiâ diſtractæ Hiſpanorum vires. & Rex Galliæ, infeſtus: qui ingentem manum, præſens ipſe, tum Caſallum deducebat. Vnde jam & alia ſperari. forte & bellum ex re natâ acrius, aut ejus cauſæ. Ambroſium eâdem tempeſtate Spinolam, Hiſpania tenebat: virum maximæ dexteritatis ac gerendis rebus parem. ad quæ, è diuturno imperandi vſu ac ſucceſſu tot annorum, fama ingens cum autoritate, accedebat. Vnde noui animorum motus. apparatu belli apud nos ſuſpecto, nec exacto ſatis, cui tanta imperandi moles mandaretur. Henricum quippe Bergium, ab rebus feliciſsime annos plures apud Belgas geſtis, ſibi ac ſucceſsibus fidentem, nomen bello clarum; Carolum Colomam, gente Hiſpanum, cui altera militiæ pars incumbebat, ſua gens ac noſtri odium, pleriſque populo auerſis commendabat. & Hiſpani juſſa exterorum auerſantur. Accedebat viri dignitas ac genus. Domo quippe Arragonius, illuſtri ac vetuſtâ, Prorex olim Indiæ ac Cameraci egerat Præfectus. Neque multo poſt hæc, quæ pro nobis, iterum diuerſa. Danum inter Cæſaremque pax, nec opinata. Sic defunctus bello Cæſar. à quo mox ingentes copiæ Belgarum finibus immiſſæ. Ex Italiâ deceſſus magni Regis: qui perruptis Alpibus atque aditu, Sabaudi milite obſeſſo, Susâ, vrbe validâ, cum arce expugnatâ, liberato ad hæc oppido Caſallo, quod Gonzalus Corduba premebat, dein citra expectationem regno redditus, in ſuos, adhuc diſcordantes, arma ab Hiſpano vertit.

vertit. Apud Belgas, Imperator prouidus, nec ſegnior, in locum ducis maximi ſuffectus. miles præter expectationem, curâ Iſabellæ, popularitate ac relligionis cultu validæ, quæ ad præproperas collationes amplius quam vis aut metus poſſunt, ſubito conſcriptus. Quibus prævertendis, quanquam cuncta proſpici initio vix poſſent, feſtinare, inſtare Princeps. Bellum in æſtatem trahi ſolitum, cum Martio tum incipi placebat. vt, ne anno quidem aut ſpe frugum expectatâ, hoſtis pariter præveniretur. Cæterum, haud pauco milite, & invſitato ſumptu opus. Duodena millia, ad manum jam paratam, poſcebantur. quod, vt inter plures, aliquamdiu diſceptatum, moræ cauſam addidit; vix ante Aprilis quintum & vigeſimum communibus ſententiis probatum. Eſt, vbi vltimus Taxandriæ deficientis ager, Batavorum ac Geldrorum finibus incumbit, vrbs, antiqua, potens, opulenta, famâ bello partâ, ante cæteras hoſtiles clara. Buſcoducum noſtri, vulgo Syluam Ducis vocant. Taxandrorum, ſiue, Toxandrorum, nomen, aliis receptum, vt hac tempeſtate haud pauca, annis apud nos obſcurum. Sunt & qui de loco gentis acriter decertent; vſque in Zelandorum inſulas peritis talium jam relegatæ. Atvaticis finitimos fuiſſe ac Tongris, pluribus probatur. neque minus ea coluiſſe, quæ Campiniæ vocabulo cenſentur. cujus vrbem primam, à vicino nemore ſic nuncupatam. Cæterum, à Duce Gotofredo Lotharingo, primo, vt putatur, conditore, Orthenam primo dictam. cujus in ſuburbiis veſtigium nunc manet. Proceres Belgarum, in venando temporis plerunque egiſſe, veterum memoriis


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

teſtatum. Eo loco, quo nunc vrbs, aut juxta, ſyluam amœniſsimam fuiſſe, frigidiſſimis aquarum riuis temperatam, quidam credidêre, quidam facile credentibus accedunt. In quâ omne genus feræ, etiam majores. quas excipere, aut ad ictum deſtinare, inter exercitia probata Duci. Caſam rudi opere, vt tum tempora ferebant, extitiſſe in medio; receptum canibus, aut nimio labore fatigatis. Haſevindam tum dixiſſe. cujus nomen, aut relliquias, in foro ſupereſſe. Antiquitati, ſi non certa, ſua fides eſto. quando, nec Romanis, in primordiis locorum, ne ſuorum quidem, atque ipſius rerum dominæ, vnde omnibus origo, fabulis vbique temperatum. & aſſenſus raro deeſt priſca & amœna memoranti. Lucum, arborum opacitate, propriâque ſobole ferarum, ſuis carum, ne externis aditus daretur, foſsâ cinctum. quâ vlterius deductâ, portu peridoneum, vicinos pellexiſſe. Ita pluribus paulatim frequentatum. Gentem convenarum, inter accolas prævalidos, ac ſibi metuenteis, ſæpe loco pulſam, ſæpe reſtitutam; Ducis Brabantini interventu, vallo turribuſque, aduerſus hoſtium injurias, munitam, mox & vrbis nomine donatam. vnde ad magnitudinem ac famam, robur primum. Ita ſpatium paulatim majus ædibus ac templis occupatum: quæ nunc plura & magnifica ſpectantur. Quibus ab initiis provecti, quartum inter principes Brabantiæ nunc locum tenent. Plurima cum Gallis olim, atque hac tempeſtate cum Batâuis bella, armis habiles fecêre. Iidem animoſi, cum à nobis ſtare viderentur, atque antiqui moris tenaciſsimi, diſſentienteis aliquamdiu dedignati; donec, quibus alia placerent, plurimas poſt ſimultates vrbe egreſsi, libertatem

præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

prætulêre. qui contentionum finis ac initium defectionis fuit. Poſt quæ, inter ſe concordes, &c, ſub domino, egêre; reluctari magis ſoliti quam non ſeruire. Militem, à ſuis quoque miſſum, ac præſidia, haud ſemel auerſatos, conſtat. Numero ad quattuor aut quinque millia virorum cenſa, fertur. Fœminæ (notatum patriis ſcriptoribus) ex ſe indomitæ ac impotentes, quoties adventu hoſtium aut aliâ neceſsitate, muliebres exuêre curas, eadem audendo, viros acrius accendunt; ocioſæ regunt. Priſco tempore frugales modicique habiti, eoque aduerſis maxime invicti. nobis, parci ac reſtricti, quêis virtutis modus ad luxuriem exigitur. Vrbs ipſa, ſpacioſa, viis lata, templis, ædibus, quâ ſacris, quâ profanis, ante alias conſpecta. Ditione propior prouinciæ quam oppido, Campinios, Pelandos, Maſelandios, atque Oſterwicum tenet; vrbibus nonnullis, vicis plurimis atque amœniſsimis frequentes. Centum alii ac decem, plures alii enumerant. nonnulli vrbibus, Etmondo atque Endhouo, Megam, Grauiam, acRaueſteinum, addunt. Portæ quattuor acceſſum præbent. Præter primam, quæ Iohanni Diuo nunc inſcribitur, quà Vlimam iter eſt, Vuchtana, ſeu, Antwerpiana, Hintemana, atque Orthana. Præter quas, tres aditus, quos fluminum allapſus pandunt. Vnus, nomine Hehĕlæ Majoris, quà in vrbem Dommela defertur. alter, quà inſinuatur Aa. tertius, qui portus vicem oppidanis præbet: quem concurſus vtriuſque fluminis in vrbe format. è quo ortus tertii, cui Diſæ nomen: qui in Moſam mox evoluitur. A primâ, ſemita contracta, profundiſsimas paludes inter, aquâ tertium ad pedem cooperta; fundo ſolida ac firma. A Vuchtanâ, via



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

ad triginta pedes lata, expers humidi ac ſicca. A ſiniſtrâ, flumen Dommela, ex vrbe proſpectanti. Dextram verſus, foſſa ingens. & vlterius, paludes. Ante portam, propugnaculis duobus cinctam, * ſemi-luna, ſpecioſa facie, † loricâ viæ coopertæ præmunita. Neque procul, vbi terrâ ſolidâ continuatur via, ſitum ciuibus caſtellum: cui quinque propugnacula minora, cum loricâ ſimili ac foſsâ. quod allapſus Dommela propinquus, omnem, niſi quà frons agros, aquam eminentes, ſpectat, aditum excludit; hodie Antonii vocabulo ſignatum. Minus vulgo dicitur. A dextrâ, vbi myriceto juncta palus, alterum, haud paulo majus. cui quinque propugnacula majora, cum * ſuccincto valli (horizonticam loricam, operum periti dicunt) atq; ingenti foſsâ; ſuper hæc, † lorica viæ coopertæ, alterâ cum foſsâ ac cornuto opere, munitum. cui Iſabellæ nomen. Via, quâ acceditur, anguſta. quæ per humida terrarum ac depreſſos agros, vicum Hintumanum petit. Ante portæ aditum, † dimidiata luna, duo inter propugnacula, ingenti * opere cornuto præmunita. Ad Orthanam, quâ paludibus ac largo aquæ ductu cuncta accedentibus infeſta, opus vnum; ſpecie * dimidiatæ lunæ. A majore Hekělâ, quingentis prope paſsibus, quâ parte aqua parcior, eoque in tumulos ſubinde aſſurgit humus, aliud caſtellum, cui Pettelano nomen: totidem cum propugnaculis, † loricâ item viæ coopertæ, propriâque foſsâ. Is tum vrbis ſitus, ea caſtellorum forma. Fama, vt ſunt res humanæ, ac opinio acceſsit, quaſi, impetita ſæpe, nunquam occupata, nullis viribus aut arte humanâ expugnari poſsit. Hohenlous expugnarat, niſi expugnatam credidiſſet. Propera victoriæ fiducia, victoriam

* *Demi-Lune.* † *Contre-ſcharp.*

* *Fauſſe-braye.* † *Contre-ſcharp.*

† *Demi-Lune.* * *Ouurage à corne.*

* *Demi-Lune.*

† *Contre-ſcharp.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

riam corrupit. Miles vagus, ac jam prædæ imminens, à ciuibus atque equite, qui præter expectationem aderat, oppreſſus, dein intra mœnia concluſus, ſpe conuerſâ, exitum quæſiuit, nec inuênit. extra aliquot, qui in audaciam ex deſperatione verſi, muros ſaltu, foſſas nando trajecêre. Fratrem Principis, tot oppidorum domitorem, modo hyems, modo æſtus, modo hoſtium dux præſens, ac receptum mœnibus præſidium, conatu auertêre. vt vis major, à quâ belli abdita, vt cætera, flectuntur, famam quoq; cum hærede clam partiri videretur. Locus, in quem conueniri placuit, caſtellum Schenckianum, militi prædictum: quod Batauiæ antiquæ (quæ Betauia hac tempeſtate, aut Betua) initio, Rheniq; ac Vahalis diuortio, nunc celebratur. Imperator, in quo cæterorum vis ac animi, vigeſimo Aprilis tertio, præpropere Hagâ Comitum, cum ſuis, comprehenſis, vt mos, obuiis vehiculis, exceſſit. vnde Arenacum biduo perventum. Vbi * ſummo vigilum Præfecto, exequendis belli muniis promptiſſimo, Iacobo Wytſio, cogendo militi præmiſſo, intellectum, ſigna aliquot indicto loco conſtitiſſe: cæteros, aduerſo vento aliiſque incommodis, adhuc teneri. Imperatum, qui adeſſent, locum ne mutarent. Arenacum ipſe proxima præſidia vocari jubet. Partem aliam Neomagum Geldrorum, oppidum ad oram Vahalis, ablegat. monito, vt ad vigeſimum octauum, pariter in myricetum Mokeranum vniuerſi conuenirent. Quo in campo, tota acies in armis die dictâ ſtetit. pulchro documento, quantum tot poſt annos nunquam magis vegeta libertas poſſet. Ipſæ copiæ, ſpectaculo atque ordine pulcherrimo, trifariam diviſæ.

* *Sergeant Maior General.*

viſæ. Primus, cui † acies ſortito tum evenerat, è quattuor Gallorum, vnicâ Walonum, geminis Belgarum legionibus inſtructus. Quem Chattillonêi, Cortomêri, Hauteriuii, Candalii, Famarſii, poſtremo Didii ac Varici, tenebant. In ſecundo Comitis Erneſti, Comitis Wilelmi, è Germanis; Brochii, Hacquetti, ac Bachlouchii, è Scotis; vna Friſiorum, vna recens conſcriptorum, viſebantur. Poſtremum quattuor Britannæ, Verii, Cecilii, Morgani, atque Harwodi, cum noſtrate vnâ, Brederodii, ſeptemq; ſignis extra ordinem conſcriptis, obtinebant. In primo, ſigna octoginta octo, in ſecundo, ſexaginta ſeptem, in poſtremo, octoginta nouem. Eques item totidem ordinibus compoſitus: quos quinq; legiones ſingulos, turmarum quinque aut quattuor, explebant. Primum equitatus noſtri Propræfectus Stakenbroucquius, Stiromius ſecundum, tertium Dux Bouillonêus dirigebat. ita tamen vt præeſſet cunctis qui ducebat primum. Vniuerſi, peditum ad quattuor viginti, equitum ad quattuor aut quinque millia, luſtrati. Tot mortalium apertâ in planicie conſpectus, inde armorum, tympanorum, ac tubarum horror, hinc equorum, cohiberi inter iſta indignantium, hinnitus fremitusq;, etiam ignauum quemque inflammarant. Neque efficacius quam apparatu mors ſuadetur, qui tironem quoque in arma & lubidinem cum multis pereundi rapit. Pubes omnis, bene habita in armis, animis corporibuſque ad excipienda Præfectorum juſſa monituſque expedita. Superabat tamen cætera alacritas, ac ſumma voti, prœlium atque hoſtis. Qui tum procul, & diuerſa apparari. machinæ, obſidio, circumvallatio, ac mora; quibus arma provide arcentur. Commeatus, cum impedimentis tor-

† *l'Avantgarde.*


D mentiſque,

† *Creue-cœur.*

mentiſque, niſi quæ ad manum,† Crepicordium, plus minus mille paſsibus ab vrbe, quâ in Moſam Diſa labitur, devectus. Interim cum ſignis quattuor viginti, juxta Schenckianum, prohibendo hoſti Pincius relictus; vbi viſum Principi, ad vrbem ſecuturus. Igitur prouiſis omnibus, quæ vel firmandæ Geldriæ, vel advehendis, quæ tum opus; ipſe eâdem luce, haud procul Mokâ, vico Grauiam Neomagumque inter, cum exercitu pervênit. Die alterâ, ſub ortum Solis, ponte è nauibus effecto, motum agmen, Moſam prope Grauiam trajecit. miſſo ante Stakenbroucquio, qui Bredam inter oppidumque, ne quà clam immitteretur miles, locum occuparet. Agmini difficultates aliquot objectæ. Quarum prima, æſtus gravis ac inſolitus, arenas inter ſabulumque tenax incedentibus infeſtus. cujus tædio vagari miles, neque raro extra numeros diffundi. Cognitum id Duci, diſciplinæ vim intendit. Inclinato in occaſum die, Præfectorum ſingulos, adeſſe juſſos, muneris ac » partium ſuarum monuit. Adjectum, Ni cauerent, » ni receptum intra morem ſuos coercerent, quic- » quid miles deliquiſſet, imperanteis præſtituros. Quâ ſeueritate, die alterâ ſic cautum, vt compoſitum atque ordinatum agmen, Heſiuîcum, paſsibus bis mille ab vrbe, perueniret. Vbi arx, infeſſa hoſti, in deditionem poſtulata ſimul & accepta. Ad quæ anceps atque ambiguus gerendæ rei, moderator adhuc Geldriæ Henricus Bergius, qui Moſam inter vniuerſum militem ac Rhenum tum curabat. Is inter prima, ne quid ad Veſaliam turbaret hoſtis, ſigna eo duci ac finitima tueri jubet. Idem, nunciato, Mokerano jam in campo conſtitiſſe agmen,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

quicquid cogi derepente potuit, Venloam ac Rurmundam mitti præcipit. Mox intellecto, Moſam noſtris jam trajectum, idem flumen ad † Maſtrichtum ſubito transmittit. vnde Haſſeltum, mox & Dieſtam, motum agmen. Miles in Leodienſi agro, atque ad flumen * Demaram, locatus; ne quà hoſti in Brabantiam, quæ vulgo Minor dicta, aditus pateret. Ita Bergius, quocunque nunciata agerent, aut hoſtis antecederet, intentus ac incertus, ſuſpectare cuncta ac neſcire: non rumoribus, non famâ fretus; quam Dux noſter intricarat. Qui & mox Bruxellam, Principi conveniendæ, propere profectus. Ad Kalendas Maias Heſevico noſtris motum. Dein caſtra, oppido haud procul, in conſpectu hoſtium diſpoſita. Erneſtus Caſimirus, Friſiæ Præfectus, propriâ cum legione, aliisque quattuor, Scotorum partim, partim Friſiorum, equitumque turmis ad viginti, quas Stiromius ducebat, ad Hintûmum, vicum portæ proximæ cognominem, desêdit. Wilelmo Comiti Naſſauio, cum legionibus duabus, ſignis tribus, extra ordinem aut nouiter conſcriptis, ad Orthanum cura data. à quo, juſſu Ducis, quattuor † Angellam miſſæ. Vicus is ad Diſam, * Crepicordium atque vrbem inter, commeatu advehendo deſtinatus. Imperator, Vuchtæ, juxta Dommelam, quâ Bredâ atq; Antwerpiâ tranſitur, locum cum exercitu pleroque capit. Ante caſtra cujus, intra pilæ tormentalis ictum, Iſabella atque Antonii caſtellum. Datum id præſenti, ut eâdem luce, loco ac munitionibus aduerſus hoſtem cautum eſſet. Dies proxima luſtrando ſitu atque † acceſsibus abſumpta. Vrbem omnium judicio inexpugnabilem ac ſuo, eâ tempeſtate Antonius, è Scetſiorum gente,

Margin notes: † *Traiectum Moſæ.* — * *Demmer.* — † *Engelen.* — * *Creuecœur.* — † *Approches.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

(vulgo, Baro Grobbendoncquius) cum tribus peditum ſuorum millibus, tribuſque turmis equitum, tenebat. acer animi, atque imperandi in iiſdem locis vetus. circumſpectus, ſui obtegens; probata hoſti aut decreta, per fidiſsimos vbique clam rimari ſolitus. Nec bello minor. &, vt oppidi defenſione, ita multis libertati noſtræ cladibus perſpectus. cui adhuc virtus pro temeritate habebatur. Nam initio, de Bredâ, aut vicinis, ſuſpicari, vt ſecura eſt credulitas, malebat. Is, vbi ſerio rem geri ac ſe peti videt, quædam altius exigere animo ac volutare. Magnas hoſti vires atque invſitatas. Ducem providum, ætate integrâ, Belgarum armis innutritum atque innatum. Nec judicio aut impetu præcipitem, mutanda protinus conari; Grollæ documento haud ambiguo probatum. Et quid, ſi obſidio diuturna, non à milite, tormentis, puluere, aliiſque ſat inſtructo? Quem Leodio oblatum, neglexiſſe credebatur. ſiue parſimoniâ, quæ magno ſtetit: an quod, vbi fata nutant, primo omnium conſilia turbantur. Sunt, qui Bredam paulo ante partem ejus miſſam ſuſpicentur. nec autores nobis deſunt. Ipſum pernegaſſe, certum habeo. Ejecto vrbe, poſt fortiſsime defenſam, Dulquio, Hiſpanæ factioni, à quâ in conventu militari premebatur, acceſſiſſe Grobbendoncquium, plebs diſſerebat. vnde metus in futurum, & judicii, ex proprio, exemplum. Accedebat pudor è longiſsimo ſucceſſu, ne poſtrema, & vergentem jam ætatem, indecoro fine terminaret. Nec ſubinde dictis præferocibus aut minis temperaſſe ferebatur. quarum recordatio, mutatis rebus, primò ſibi conſcios exercet. Adventantibus initio ad vrbem, nihil æque ac loci facies, noſtrorum

animis

animis formidoloſum. Vna aquæ circumfuſæ ſpecies ubique. E quâ, vt è vaſto mari, mœnia ac turres eminebant: nauis formâ, quæ continuum profundum procul intuentibus diſtinguit. vt adnauiganda acceſſuris videretur. Igitur Bruxellam de obſidione ac ſuppetiis perlato, varia, vt tali loco, fama. Quippe ante ipſam, cum de expeditione adhuc rumor eſſet, pauci fidem adhibere. Inter ſuos ſerere ac jactare, » Cuncta ſimultatibus hic feſſa. Ante homines, nunc » vrbeis inter ſe committi. Plebem, vt plerunque ex- » tra regnum, ſimilem regenti, nihil cum rectoribus jam » velle aut nolle. & vbique ad ſuos criminari. Iam nec » illis eadem probari. quo licentiam multorum niti. » Ne tollendo quidem malo, ſpem relictam. Poſt con- » cordiam, concordiæ remedia ſublata. non autoritati, » non conſiliis, non moderatis locum. Quod vix à ſe » hactenus ſperatum, ſolos jam placere qui diſſentien- » teis magis inflammarent. neque magis partibus in- » viſos, quam qui nullas mallent. Qui diſcordiis ſua- » rum rerum impotentes eſſent, fruſtra aliis minari. » Nihil metuendum foris, quamdiu domi pro ſe, & ad- » verſum ſuos, decertarent. Aliaque id genus, è rumo- » re, aut ſuorum literis, accepta, quæ cum incremento fama ſpargit, ſinguli interpretantur. neque raro malis noſtris, cum majora reputantur, contra hoſtem ſtamus. De obſidione nunciato, quidam ſingula augere in majus, quidam nihil credere adhuc, aut à ſuis credi velle. Quod rariſſime impetratur. vel quod difficillimum, neſcire quæ non ignorantur: vel quod quiſque magis vetita rimatur. cum in libertate neglegantur etiam quæ nocent. Quidam, vanos fore atque irritos conatus, qui obſeſſam * decies, aut im-

* *Vide Grammaii Taxandriã.*

 petitam,

petitam, ex annalibus haberent. Addebatur cæte-
„ ris, Æſtates nobis breues eſſe atque humidas. ab hye-
„ mis acceſſu, munimentum vrbi proprium, & ſuum.
„ Circumcirca pronam in paludes eâdemque causâ in-
„ acceſſam, hoſtem ſcire potius quam meminiſſe. Eun-
„ dem exitum, eodem modo imprudentibus, relin-
„ qui. proximos ab iis, qui feliciora expectarent. Hæc
atque alia nonnulli, vt ad meliora omnes proni ſu-
mus. neque quiſquam cogitur, vt ſperet: nihil magis
abblanditur. Inter quæ jam paſsim & ad Regem lite-
„ ræ tranſmitti, Syluam Ducis obſideri; fide in Princi-
„ pem ac Deum ſemper inconcuſſam: non inſidiis, non
„ armis, non fallaci arte, aut prætextu vllo, expugna-
„ tam. quâ deſertâ, tutum hoſti quicquid obtineret, at-
„ que ad cætera tendenti, viam pandi. Et plebs Virgi-
" nis vocabulo, vt impollutam atque intactam, vulgo
" nuncupabat. In Hiſpaniam, vt tarde pleraque, ita ſero
" perferuntur. & agente procul Rege, lentæ ſpes ſub-
" ſidii, aut conſiliorum; cum momenta belli, moram
non admittant. Genti quoque proprium, contem-
" nere hoſtem. vnde neglegentia plerunque, &, vt ne-
" ſcia timendi, ita metuendis ſemper proxima ſecuritas:
quâ ſępe haud minus tuti quam virtute noſtra ſumus.
Inter quæ, cingendo oppido inſtare aſsiduo juuentus
noſtra: dies pariter nocteisque vrgere. Nec, vt alie-
num cœpto opere, celeritatem prætermiſerim. Po-
ſtridie Kalendas Maias, inchoatam militi circumval-
lationem, die octauâ (cum interea & caſæ ſuæ cuique
** Redoutes.* exſtruendæ) abſolutam; ante menſis exitum, * re-
ductus ac caſtella, ad defenſionem addita, in commen-
tarios mechanicos relatum annotaui. quanquam leui
operâ, nec vt manſura. Prima quippe cura, ſpatium
circum-

circumſcribendi,ac cingendi locum.Poſt quam altius educta ſingula, aut firmius munita. †Seps caſtrorum, *†Trenchees.* ſex plerunque pedes alta, craſſa ſeptem, foſsâ octo pedum circumducta. quæ haud modice mox accrevêre. In circumvallatione extimâ, caſtella ſeptem, ſingula majora, ſpecie quadrangulâ, exſtructa. Inter quæ Vlimanum, quà potiſsimum arcendus hoſtis videbatur, coronato ſimul opere ac cornuto, alterumque Diuæ Annæ nuncupatum, ſolo coronato præmunitum. *Reductus quadraginta nouem. †Opera cor- **Redoutes. †Ouurage à corne.* nuta ſex & decem. Præter * forcipes nonnullas, ac **Tenailles.* caſtella, quæ dimidiata vulgo, nec vnius formæ. In circumvallatione interiori, & qua propinquatum eſt, †reductus quadraginta nouem, cum *ſuggeſtibus, *†Redoutes. *Bateriès.* queis oppidum ac hoſtium munitiones pulſarentur, quinque ac triginta, caſtelliſque quattuor quadrangulis, majori ſpecie exſtructis. Ambitus exterioris longitudo, quadraginta millium ac trium paſſuum, interioris, millium viginti ſex ac quingentorum. Neque ſegnius Præfecto vrbis, intellecto hoſtium conatu, cuncta apparari. Miles æger aut invalidus, fere ad quingentos, pubes operata ſtudiis, egeni, aut ætate infirmi, cum imbelli viduarum militarium ac liberorum comitatu, oppido exire juſsi. ne annonæ graues, cæterorum inſuper officia turbarent. Acceſsêre quattuor è liberis Præfecti, quibus commeatum Imperator dedit. Exeunti ſimul equiti, vel parum vtili, vel oneri futuro, intercluſum iter. Primus noſtri agminis acceſſus, ad quatriduum aut vltra, crebris tormentorum ictibus exceptus. quorum duo & viginti, eâ parte propinquantibus obuerſa, ſtragem minabantur. Inde, præter expectationem, alta ac ſecura

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

ſecura quies. vt hoſtiles muros globi militum, aut carri operarum, humo aut materie onuſti, facile ſubirent. Neque tuti à majoribus, minores pilas formidabant; quæ exiguo cum damno mittebantur. Vnde & egeſtatem pulueris plerique ſuſpicari. Alii, intentos munimentis, cætera negligere aut deſpectui habere. Nec interea non cuncta feſtinari. Propugnacula ac turres vetuſtate lapſæ, reſtaurari aut attolli: noua addi. Stationum ordo ac vigiliæ intendi: miles recens ad portarum exitus locari: defenſores muris dari. Advocari ciues, admoneri, vetera commemorari. quæque alia pauoris ſubiti aut incompoſiti delinimenta „ ſunt. Nimis diu ab hoſte hactenus ceſſatum. Adve- „ niſſe diem, qui virtutem pene obliteratam, nouo do- „ cumento commendaret. qui invictos, iterum evince- „ ret. Non defuturos cuiquam animos, qui vetera, „ qui noua cogitaret. Neque mirum, obſideri, qui tot „ annos obſediſſent. Vnam vrbem, tanquam termi- „ num rebellioni à naturâ datam: per quam nec fuiſſe „ domi tutam, ac, ne vltra tenderet, repreſſam. Id do- „ lere. ideo ſe peti. De ſucceſſu è ſuperioribus cenſen- „ dum. Vires nunc eaſdem, eadem locorum munimen- „ ta: homines eoſdem, ac præfectos, idem numen, ne- „ que Diuos alios, præeſſe. Quorum irâ ac impulſu, de- „ nuo eoſdem aduenisſe. Genus inquies ac factioſum, „ ſibi aliiſque infenſum: qui nec juſtos olim dominos, „ nec propriam nunc libertatem ferrent. Aduenisſe „ Principem in locum, in quo medius à Cæſare ac Rege „ teneretur: quos ad liberandum nihil relliqui factu- „ ros. Non tam deſidem familiam Auſtriacam, non ita „ hoſti notam, vt id dedecus in ſe admittat. vt, ſuper- „ ſtite ac vidente ſe, Belgarum murus ac præſidium

aduerſis

aduerſus cedat. Neque aberant initiati ſacris, probi, aut opinione tales, qui languenteis inflammarent: ciuem, militem, ad opera, ad arma agerent: per ritus veteres ac nunquam ibi expugnatos, ſingulos vrgerent, Quiſque patriæ conferret, quantum accepiſ- " ſet. Tempus nunc rem agi, ac rebellibus obſiſti. Deo " opes, ſpiritum, ac vitam, credi. quam, vtcunque bre- " vem, gloriâ abſolui. nec amitti, ſed transferri. Pro " quo nullis caſibus infeſta ac æterna, non tam expe- " ctari quam adeſſe. Magis etiam, tum grati, cum " armati ad pericula ac caſus cæteris haud trepide præirent: animis exemplo ſimul ac relligione, vt in populo, obſtrictis. Ipſe, è ſermonibus adverſæ partis, extitiſſe comperi, qui vrbem, tot munitam ſacris, captum iri pernegarent. Id ſe ſcire, id conſtare: id, vt fixum atque indubitatum, apud cæteros præferre. & diuinis, etiam cum ſpecie aut verbis prætexuntur, pauci reluctantur; ex quo cœlum vſibus cujuſque ſeruit, & ad partes valet. quoſdam quoque invenias qui pauciora credunt quam perſuadent. Quæuis interim circumſpici. Naturæ quoque ingenium, haud temere aquis ac paludibus munitæ, arte ac operibus juuari. eâ parte ante omnes, quâ vis noſtra, & vicinus Princeps. Inter cujus atque Erneſti Caſimiri caſtra, intervallum pene immodicum reſtabat: quo acceſſus hoſti, Pettelanum verſus, per Dongenſem vicum facile patebat. vtraq; interim ſic diſparata erant, vt ſuccurri alteris, ſi quid ingrueret, ab alteris vix poſſet. Quo perſpecto, Brederodio mandatum, vt cum legione propriâ ſigniſque aliquot, quæ ſimul tria millia explerent, locum Dongæ proximum muniret. Obſecuto, caſtra Principis, cum Brederodianis, * aggere *Trenchee.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

** Forts. † Redoutes.*
*† Orten. * Engelen.*
*† Creue-cœur. * Engelen.*
† Retren-chement.

continuo, * caſtellis aliquot † reductibusque communito, itidemque Brederodiana cum Erneſtianis, iſta cum † Orthano, ac * Angellâ, inter ſe connexa. Quo, vt noſtris facilis ad omnia acceſſus, ita via interclusa hoſti. Qui ne, † Crepicordium inprimis atque * Angellam inter, commeatus, cæteraque, quæ advehebantur, neceſſaria arceret, Diſa quoque flumen † aggere continuo munitum. Neq; multis poſt diebus quam ad vrbem ventum, ad mille peditum à Balanſonio, Bredani oppidi Præfecto, miſsi, pube tenus alibi cum cœno ac paludibus luctati, per cuſtodiis ac munimentis intermiſſa, portâ proximâ, Iohanni dictâ, clam recepti. Animos præcepta pulueris penuria addebat. quod initio finitimis perſpectum. Vlimâ oppidum petenti, transeunda Deutera hac parte. Vicus is vicinus, loco eminet nonnihil. vbi ſubvrbanum Grobbendoncquio, atque anatum captura, Batauorum ritu inſtituta. Inter hodie reperta nobile id aucupium, amœnitate ac lucro incolas oblectat. Auis, certâ tempeſtate, locis ſolitis notiſque, magno agmine aggregatur. Quibus naſſæ, vimine in anguſtum ex latiſsimo contextæ, diſponuntur. Intra illices, quæ voce cæteras invitant. Auceps inter hæc, domeſticam catellam, cui fœno cauda præligatur, offâ ad ſe pellicit aut trahit. quæ per intervalla, dum diſcurrit, aui exhibetur, interim cum ipſo latet: oblectamen aduentanti, atque exitium receptæ. Circumventæ quippe accurſu ſubito atque in anguſtum actæ, voluptatem morte luunt. Imperator, re ac vſu cognito, facillimum hac parte ad muros oppidi acceſſum dari, ac ſi occupetur, fruſtra cætera præcludi, Comitem Wilelmum, cum

dilectâ

dilectâ manu(mille haud amplius accepimus)munire locum, ac ſe, jubet. Quod alacritate tantâ conſummatum, vt lux eadem, quâ cœptum, hoſti aditum negaret. Ad hæc, viam ſtrue plurimâ inſterni, ac per mediam paludem duci mandat. Opus, vtile haud minus quam mirandum. tum, vt caſtra Principis cum Pinſianis, quę ad Deuteram, connecterentur: tum vt liber inter ſe vtriſque acceſſus eſſet. Super cætera, quo agger ipſe, vt vniuerſi ambitus pars vna, ita terminus ac finis, ſpem acceſſus hoſti ac ſubſidii negaret. Nec ſtupenda minus feſtinatio quam opus. Vno menſe haud amplius ſic properatum, vt tormenta machinaſque toleraret. Exſtruendi ratio hæc fuit. Magna virgultorum vis, quæ clam, prætextu alio, * Cæſaris-wartæ fuerat congeſta, clam Angellam, inde ad locum deſignatum, cum adventu Principis tranſlata. Quibus humida ac paludoſa, ſex triginta pedum latitudine, contecta. Hactenus, vt accedentes, parte ſui, neque dum vbique, admitteret. cum aqua alibi ad ſextum pedem ſeſe efferret: Quo impenſius cunctorum oculos in ſe convertit Imperator. qui, vt à mechanicis notatum, inter operas ad primam noctem ſolitus verſari, quia aderat, plus cæteris præſtabat. Nec tædebat quenquam ſui, qui, nunc puluere, nunc cœno oblitum, præſentem aſpectaret: qui adhuc vbique obvium humorem, hauſtum ocreis, eâdem egeri videret. Interim affari quemque, quemque hortari. Scire ſe quid labos, quid contentio multorum poſſet. » Properandum nunc cum maxime, atque inſtandum. » Hoſti præripi, quod quiſque feſtinaret. Manibus » iiſdem oppidanos claudi, cæteros arceri. Plura ſpe- » cies dicentis & autoritas exſequabatur. Indefeſſi,

* *Keyſers-vvaert.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18


laudibus attolli. qui tardaſſent, verbis caſtigati, in futurum acrius tendebant. Operis hic modus. Virgultorum ſtruibus ingeſta tellus. Eâ ſuper, pali ſex aut amplius defixi: fere vt interuallo pedis inter ſe abeſſent. qui viminibus, ad inſtar ſepis, valide connexi. Super queîs, ejuſdem formæ ac menſuræ alii; inferioribus virgultis eâ vi impacti, vt eâdem ſpecie haud difficulter necterentur. eâ altitudine, vt quinque pedes ſupra viam eminerent. Ex aduerſo ſepes altera, eâdem facie oppoſita, vt binis ambæ pedibus abeſſent. Vtranque inter, faces ac virgulta, iterum ingeſta, pedibuſque valide depreſſa. Ipſæ ſepes, ne qua cederent, aut alterum in latus irent, pali denuo viminibus annexi, vt & ipſæ inter ſe hærerent. Ita duplex foſſa circumducta. Quæ, præterquam quod firmarent ſiccarentque caſtra, commeatui acceſſum dabant. qui vix ante carris curribuſque, & impenſis maximis, advehebatur. Ita quicquid loco ante invium aut inacceſſum, tale munimentum noſtris fuit. Agger ipſe, ab operis, quas adhibere viſum, Batauorum dictus. neque vllo largior ſpes obſidentum, major animos hoſtiles deſperatio intrauit. Is continuatus, cætera conjunxit. Partes autem duæ. Altera, Vuchtanâ à planicie, caſtriſque fere Principis, ad Pinſiana; altera, quâ parte * foſſa, Boſsica nunc nuncupata, ad † Angellæ vicum, ſpatio continuo perducta. Quarum iſta, quater mille paſſus, altera bis mille & quingentos fere expleret. Opus poſteris ſtupendum, * moles vna minus quam viginti, & in foſsâ naues aliquot, tormentis pluribus inſtructæ, defendebant. Accedebant * tormentaria ſuggeſta ad ſeptendecim, excipiendo hoſti: præter ea, quæ in † caſtellorum,

*Boſſe-ſloot.
† Engelen.
* Rauelins.
* Bateries.
† Forts.


*ope-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

*operumque cornutorum propugnaculis exſtructa. ** Ouurages à corne. Hooren-vvercken.*
Inter hæc, ne quid conatibus obſtaret, fluuii, hinc Aa, inde Dommela, † objicibus atque * aggere intercepti. *† Dammen. * Dijck.*
Pars laboris altera, nec cæteris, difficultatem expendentibus, initio probata. Flumen id Campiniæ, quod caſtra Principis prælapſum, alto flexu ac curuamine, vrbis foſſam, dein ipſam petit. Obſtruendi cauſæ, variæ ac graues. Intima, ne aqua intra valli vniuerſi ambitum recepta, per † acceſſus ſenſim propinquantibus aduerſa eſſet. *† Approches.* tum, vt caſtra Principis ac Comitis Erneſti, quam longiſsime eâ cingerentur. Interim, ne flumen vltra objicem injectum, * caſtrorumque ** Retrenchements.* aggeres ac munimenta cætera ſe daret, &, vt omnia ambiret, extra foſſam ambitus totius, ducta altera, quæ animoſam aquæ vim exciperet, ac coerceret: cœpta ab agricolis, à milite abſoluta. Mox & altera, eodem vſu, neque minus munimentum partibus quæ parum ex ſe firmæ. Præter objicem injectum, additus & agger, fluminis à ripâ, per depreſsiores terras ad elatiores quam longiſsime perductus: pedes ſex triginta latus. Quem ad quinque, aqua continenter alluebat; † aggere inſuper caſtrenſi, ſeu continuo, munitum. *† Trenchee.* haud exiguum momentum rebus. Vnde &, ſuper ſolitas cuſtodias, pontonibus ac nauibus aſsidue obſeſſus. Inter primas aſſeruandi cauſas, ne ab hoſte, aut vi aquæ, alibi perruptus, commeatum parte Principis arceret. Altera, ne * propinquationes noſtræ aut acceſſus, interrupti, moram cœptis ** Approches.* aut incommodum afferrent. Denique, ne vniuerſus ambitus, aut caſtra ſingula, ſic inter ſe divulſa, ope mutuâ atque aditu prohiberentur. &, quod primum rei, morâ ad defenſionem Principi objectâ, facile ac

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

ſeorſim irrumpentibus paterent. Nec diuerſum A a fluuius in parte Erneſti Caſimiri, * objice haud diſsimili obſtructus, vſum ibi dedit. Quibus fluuiis duobus vniuerſa involuta atque incluſa ſpectabantur. Sed & alibi diſcrimen à difficultate loci haud exiguum reſtabat. quod nonnunquam crebris collibus elata humus, aut ſummiſsior, æquanda videbatur: ne vel latebras, vel locum commodum figendis machinis († ſuggeſtus tormentarios nunc nuncupant) præberet: iiſdemque vt adæquata facile defendi poſſet. Quod haud minus ad effectum magnis animis ab operis perductum.


* *Dam.*

† *Bateries.*


Oppido,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

CASTELLUM ISABELLÆ.




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

Oppido, haud ſecus ac coronâ, more veterum circundato, caſtellis propinquari cœptum. E quêis, Iſabella, formâ regiâ, ac opere illuſtri, Gallo, alacri virtute, atque ad quævis prompto, alterum Britanno ceſſerat. Erneſtus Caſimirus, moderator Friſiæ, ad Hintumanum vicum oppugnare vrbem juſſus. Pettelanum, diducendo magis ac ſpargendo oppidi præſidio quam ſpe acceſſus, Brederodio commiſſum. Commode, ſub idem tempus, Caſtillonius, præfectus popularibus, è Galliâ tum redux, caſtra repetebat: novum ſtrennui laboris ac virtutis ſuis incitamen. Cujus legiones quattuor, cum Didianâ ac Wallonum vnâ, Britannorum quattuor, ſigniſque extra ordinem conſcriptis, quæ Podwelſius, * prætoriano militi præfectus, dirigebat, expugnationi vtriuſque deſtinatæ. E quibus ſub occaſum Solis, ſigna ſex vtrinque, ſingulis diebus, cum † præfecto legionis, ad cuſtodiam dimiſſa. Propinquandi ea ratio ac modus. Ex vtrâque gente, aliquot electi, ſuam quique * lineam certatim Principis à caſtris inchoabant: à ſiniſtrâ Gallus, alterâ Britannus, media tormenta telaq; inter hoſtium, progreſsi. Qui cum longius vtrique abeſſent, † lineâ communi (quæ communionis vulgo) inter ſe connexi ſunt. vt vtriſque ad alteros acceſſus, vbi opus, & ſubſidium ab hoſte laborantibus, ſic eſſet. Lineæ communis partem fere ad mediam, in tumulo, quem ſponte ſors obtulerat, * ſuggeſtum, cum tormentis ſex, exſtructum; propinquantibus ex æquo defendendis. Quę in hoſtem primo Pentecoſtes magnâ vi diſploſa. Procedentibus vbique, † ſtationes * & ſuggeſta modico diſcrimine diſpoſita: turbando hoſtium tormenta, aut ab impetu hoſtili vindicando noſtra. Ad quæ nihil

*Capitain de la garde.

† Colonel.

* Ligne.

† Ligne de communication.

* Baterie.

† Corps de garde.

* Bateries.

æque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18


ACCESSUUM PER QUOS AD CASTELLA TRIA ET URBEM EX SINGULIS CAS: TRIS APPROPINQUATUM EST DELINEATIO



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18


Acceſsus
Porta Vuchtana


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

Typus Castelli Pettelani.



æque ac miles opus: nunciato jam tum hoſtium adventu, & ex famâ credito nonnullis. Brederodio ad Pettelanum ſigna duo, Comiti Erneſto ſex plerunq; ſub Præfecto legionis in cuſtodiis fuêre. Totidem tormenta, quæ è muro pluribus inſtructo, pariter cum operis, grauiſsime infeſtabantur. Neque minus inter hæc proceſſum. Et ad ſingula,† acceſſuum periti aderant ac machinarum, qui conſilio præirent. inter quos tum Parcheuallius ac Boſsius, Britannis iſte, alter Gallis additus, ſolertiâ atque vſu antiſtabant. Ab initio obſeſsi oppidi, ſermones varii de hoſte. quem trajecto Moſâ, Dieſtam, cęteris jungendis, petiiſſe, primo nunciatum. Quod vulgatum temere, & eventus & objectæ ex reſponſis Hiſpanorum moræ, arguerunt. Sed & miſſæ aliquanto poſt equeſtres turmæ, nihil tale deprehenſum rettulêre. Haud paucis quoque poſt obſidium diebus, multa de ſeditione hoſtium comperta. Quorum alii, militiam invtilem, infructuoſam, aſpernari, ac, ni æs exhiberetur, palam detrectare. Miles Hiſpanorum, Bergio, clam palam, aduerſari: & adhuc mandata Regia differri. quaſi morâ vel autoritate expugnandi eſſent, quos momenta ſingula, tot militum tot operarum manus, inacceſſos interim præſtabant. Etiam agricola, cum literis à Principe ac Bergio repertus, quem nequiquam ad obſeſſam vrbem aditus rimantem, vndæ, aut fallaces lacus, interceptum, ſubito hauſiſſe credebantur. Scribebatur ad Præfectum,
„ Quicquid ope humanâ poſſet, liberando oppido Bru-
„ xellæ agi. quæ quo lentius, hoc certius parari. Locum
„ validum ac firmum, quem teneret. quo facilius obſi-
„ dionem tolerari poſſe. E quo planum, impedita adhuc cuncta atq; incerta. Poſt haud pauca hoſtibus aduerſa,

vel

† *Approches.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

vel ſecunda nobis, tandem literæ à Rege. quibus Comiti Henrico Bergio commiſſum imperandi munus. Neque id auerſari ipſe; ſpei ſemper propior, nec detrectator ſui. Imperator, rebus ſæpe maximis admotus: vultu, aditu, ſermone, comis; ſaluâ dignitate, nulli metuendus: quo plebeia ſtudia ac militum parantur. Non judicio ad moram anxius, non lentus exſequi quæ concepiſſet: animo abunde, neque minus famâ nominis præpollens. quam jam pridem, cunctabundus adhuc ipſe, præmittebat. Quæ ſubinde acrior remiſsiorque, prout quiſq; audita aut comperta parum, ocius referret, nunc intendi, interim languere. Is, vt quæque in actis anni hujus apud noſtros aut ab hoſte ſcriptis, repperi, ad menſis Iuniani tertium, ſub horam fere ſextam, veſpere, Bruxellâ abit. Inde Lichtĕrum (Brabantiæ is vicus) propere profectus, copiis jungendis dies aliquot abſumit. Vnde ad nonodecimum promota caſtra. quibus Turnoutanus campus proxime inſeſſus. quo Henninius cum parte alterâ ſtipendiiſq;, Lyrâ, oppido haud procul poſito, advênit. vbi rationem militis inire viſum. Turmæ equitum ſeptuaginta, peditum triginta millia, luſtrata: præter cæteros, quos Breda addidit. Tormenta generis cujuſq;, magna aut minora, quadraginta, rates pontibus efficiendis, molæ frugibus frangendis ac torrendis, cætero cum apparatu, plauſtris vecta. Nunquam alias plus Duci, plus Profecto animi ex copiis acceſsit. vel quod ſubito conſcriptæ, vel quod tantæ. Famâ ſui atque adventu debellatum rati, ex agreſtibus, è tubicinibus, qui de captiuis conuenturi hoſtem mittebantur, quæ ſperarent, reſponderi velle. Scire ac audire velle, quo res loco: quâ fiduciâ tam audax facinus incœptum. Ecquid de „

 diſceſſu

diſceſſu hoſtium adferrent? ecquid vaſa conclamari? Neſcientibus negantibuſve, interminari, ſtrepere, in-
„ dignari, tanquam falſi tenerentur. Addere, Impruden-
„ tes, qui vim tantam expectarent. Pœnitentiæ, ſi matu-
„ rarent, locum potius quam armis dari. nihil, præter internecionem, pertinacibus relinqui. Quo diebus ſingulis audito, admirari Imperator, hactenus rem verbis geri. Aditu jam vrbis, pene & ſpe, prohibitos, minari ac ceſſare. ad quæ fixum ſibi, & aduerſus om-
„ nia proviſum, Non moueri. Quæ pararet, ex virtute
„ & euentu, non ex hoſtium opinione, famam habi-
„ tura: neque dicta melius quam rebus confutari. Nunquam alias frequentius intentiuſque apud militum

*Approches.

* acceſſus, atq; externa opera, verſatum traditur. Mo-
„ nentem ſingulos, teſtantem obvios, In manibus cu-
„ jusque magnam ſpei ſuæ partem. Viri eſſent, nec de-
„ eſſent ſibi animis aduerſus hoſtem; vt vt properaret,
„ ſero aduenturum, ni ceſſarent. Vnde noua operis ac militi alacritas, ex voto Ducis. Hinc Harenum mox à Bergio perventum. Vbi loci, belli denuo conſilia primoribus tractata. Inter quos repertos proditur, qui Drunum magis opportunum vellent. inde Vlimam peti, inde caſtra hoſtium facilius perrumpi poſſe. quod initio probatum Bergio, dein mutari viſum. Et Harenum præferendi cauſæ plures. quo & commeatuum acceſſus è vicinâ Bredâ facilis, nec difficilior ad caſtra. Brederodianis & Erneſti partibus exceptis: quæ & procul, & tentantibus, intercedente Dommelâ, præcluſa. pontibus ad hæc præruptis, & cuſtodiis, adverſum callidas impreſsiones, ac ne flumen alibi tranſmitteretur, opportune ad ipſum collocatis. Cætera vicina magis, & continuus ex hoſte tam propinquo

metus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

metus. vt aſsidue in armis vel habendus, vel deſubito ciendus, ruptâ ſæpe aut diſtractâ vigilandi curâ, miles eſſet: inter maxima ſpectatum hoſti. Metuens ad hæc Dux noſter, ne vel Hemertana inſula vel Bommelana, nudum accedenti latus daret, Comitem Wilelmum, juſtâ manu tormentiſque leuioribus inſtructum, præmunire aditus vbiq; jubet. Simul & † Angellam ſigna quinq;, confirmandis cæteris, ſubmiſſa. Quibus, pariter & loco, inter primos neceſſario, Solmenſis præſidere juſſus. Ita noua addita ſtatiua; vt diuerſa interuallo, ſic complexu mutuo non minus quam ex ſe munita. Atq; hæc quidem alibi ad famam Bergii proviſa. Nam quâ parte Princeps, adornari cuncta, & intentus ipſe. Singulis diebus paulo ante noctem, præter vſitatam manum, ſexaginta ſigna, ad hæc pleraq; pars equitum, à caſtris Principalibus, ad Pinſiana vſque, in armis ſtare juſsi: eâ ſerie, vt ſignum quodq; quinquaginta paſsibus inter ſe, totidem ab aggere continuo abeſſet. Pone peditem, trecentis fere paſsibus adſiſtere eques; pediti ſubſidium ac robur, & excipiendo hoſti, ſi quà agger premeretur. Quidam & ad oppidum aduerſus hoſtium egreſſus munimenta interim tueri. Deuterani pars præſidii, ejuſque, quod Angellæ, altera, ſub veſperam cuſtodiendo aggeri ad foſſam Boſſicam emittebatur. Quod in Brederodianis quoq; ac Erneſti partibus, ſervatum. Niſi quod minori manu. cum & longe hoſtis, cæteraque haud pridem memorata, ſubitas impreſſiones prohiberent. Neq; promptius alacriuſque alibi caſtrenſe vulgus, vota pariter miſcere ac preces: „ Aduenirent modo, ac præſentes, toties minati, ex- „ hiberent. Omnia vallata ac præcluſa. non obſeſsis „ ſpem, non metum obſidentibus relictum. Abſoluta „

† Engelen.

" opera ac munimenta. quorum ſe præcipuum, ſi cæte-
" ra deeſſent, viam animis corporibuſq; intercluſuros. Ea paſsim miles. Cui dum cuſtodiis nocturnis hoſtem præſtolanti Imperator adeſt, cæteris Iacobus Wytſius, ſupremus vigilum Præfectus, moderari juſſus: vt ad ſubita mandata prompti, neque procul eſſent. Interim nec moram Comes Bergius, nec res ferebat. & periculum, ne ſero, quanuis aliquo ſucceſſu, properaret. Igitur Hareno, cuncta æſtimanti, miſsis cæteris, in tempore opem oppidanis ferri placuit. Sedebat, ſi quà Deus ac fortuna daret, tria millia in vrbem poſſe immitti. cujus quanto minor ſpes, hoc magis animus vrgebat; per abrupta ac incerta, ad ſucceſſum niti ſolitus. Nec vni viæ inſiſtendum videbatur. Ipſe, ſiue vt præſens ſuis acrius inſtaret, ſiue, vt, quâ parte noſtra negligentius ſeruari intellexerat, occaſioni ipſe adeſſet, ſiue in vnum locum diſtrahendis quos haud vno invaſurus eſſet, cum pleroque exercitu aduênit. quo confiſus, Pinſiana inter Principiſque caſtra, vbi vires noſtræ, nocte mediâ ſpem pugnæ fecit. quam propemodum immodice juuentus noſtra tulit: illuſtriſ-
" ſimam victoriam, promiſſam nec exhibitam, con-
" queſti. Parte aliâ Dux Bornovillius, cum peditum duobus millibus, turmiſque octo, Dommelâ trajecto, Brederodianis ac Erneſti caſtris, militem ancipiti tumultu concitare ad arma juſſus: ſeu majora meditantem aquæ vis objecta intercepit. Irrito conatu, nec effectu vllo, receſsiſſe, nemini nunc dubitatur. Nocte eâdem, ſpe majori atque incœpto, * moderator legionis hoſticæ Dieſdorfius, cum tribus millibus, ne quicquam inexpertum eſſet, ad Vuchtana caſtra, Principi inſeſſa, inde in vrbem,

* Colonel.

aditum molitus, pari exitu defunctus eſt. Qui cum aquis, quas obſtructus Dommela hac parte effuderat, per noctem diu luctatus, ante lucem paſsibus haud amplius ſexcentis, à caſtrorum vallo, quo anguſtus, pluribuſque locis interruptus agger, flumine hinc, hinc aquâ inundante cinctus, deducebat, paululum interquieuit. Aggerem haud amplius quam ſigno militum defendi, in opinionem hoſti venerat. De die quidem vſitatum, quod non procul caſæ cæterorum, & ſubſidium ad manum. Nocte plura. & hac nouem, procurante Wytſio, locatæ; vt plerunque ſummæ rei, ita tum euentus tanti adminiſtro. Quorum ſtrepitu aut voce monitus, ſuorum cladi antevertit. ne receptu quidem, ſi vlterius proceſſum eſſet, ſatis tuto; aggeris anguſtiâ aut aquis intercluſo. Bergio diu de ſucceſſu creditum, haud leuem, & caducam, inter plurima adverſa, voluptatem attulit: viſumq; maxima pars voti, miles oppido receptus; tanquam parte obſidii ſolutâ. Fidem nunciorum quædam Duci ante cognita firmabant. Super cætera perſuaſo, per anguſtum aggerem, quem memoraui, ad † continuum caſtrorũ, cui nectebatur, nec dum eâ parte conſummatum, hinc, perruptis caſtris, ad caſtella proxima atque vrbem, militem perductum: ſingulorum, ac prudentiæ quâ obuiam à noſtris itum, minus gnaro. Princeps viam hoſtibus tentatam, poſt cuſtodias nocturnas reſtitutas ſuis, muniendam diligentius præcepit. Cujus juſſu, locis aliquot anguſtus agger, interruptus, *ſudibuſque præpilatis ac tormentis aliquot munitus, & continuus haud paulo altius educi juſſus, ſpem audendi eadem in poſterum præcîdit. Hæc per noctem: prout quæque in commentariis exactæ fidei reperta. Super inſtituto

† Retrenchement.

* Paliſſades.

hoſtis

hoſtis varie diſſerebatur. Gnari talium, credebant, validiſsimam exercitus hoſtilis partem, cui Imperator ipſe adeſſet, in planicie Vuchtanâ, copiam pugnandi obtuliſſe: vt, deſertâ Vuchtâ, miles, ex ſe auidus certandi, tum & laceſsîtus, ad relicta caſtra aditum præberet. per quæ tria millia, Diesdorfio commiſſa, eâ parte quâ obſtructus Dommela, clam oppido inducerentur. Bornevilium, ſiue inter Brederodii ac Comitis Erneſti caſtra, aggerem continuum tentare juſſus, ſeu morari noſtros ac Vuchtanis opem ferre, detinendo militi aut ſolâ ſpecie ad arma concitando, miſſum. Vt vt geſtum, in Dieſdorfio ſpem hoſti primam ac fiduciam eventus, haud poſtremis, nec immerito, perſuaſum. Sero quoque ab iis deprehenſum conſtat, nihil nobis invium aut clauſum, & ex arte Ducis clam ſubmiſſos, ac permixtos ſuis, abdita conſiliorum penetraſſe. Vnde gnarum noſtris quicquid iis viſum, & præventi, cum de exſequendo cogitarent. Luce proximâ, in myriceto, inter colles aliquantũ editos, ſubinde & in plano, intra pilæ grandioris jactum, conſpectus denuo ac derepente hoſtis. & tormenta aliquot diſploſa. Queis ſublatus inter cæteros Præfectus equitum Verreickius; conſilio ac manu inter primos. Tempeſtate eâdem Boullionêus, animi erecti, & ætatis prima face ardens, cum nobilitate, quæ virtutis exercendæ venerat, egreſſus caſtris, velitationibus minutis aliquot proluſit. Quod certamen diu vtriſque anceps, Mauwium, illuſtri ſanguine in Galliâ progenitum, extinxit. Iam ſpes toties eluſa, nondum animus promiſſo ac pudore obſtrictus, Bergium defecerat. Quod alibi nequicquam, Pinſiana inter caſtra ac Angellam, experiri placuit. Igitur Præfectum

vrbi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

vrbi, loco ad id commodo, cum parte haud modicâ præſidii adeſſe jubet; deſtinatum per hos militem in vrbem immiſſurus. Bauvaiſio Baroni tria millia, delecti omnes, data. vt, præſidiario adorto noſtros, parte eâdem ipſe vrgeret: turbatiſque aut diductis, oppidum cum ſuis penetraret. Hac ſpe, Vlimam prope nox transacta. Prima lux ferme erat, neque ex vrbe quiſquam. Ita ſeſe Harenum denuo recepit. Princeps interim (ignotum hoſti) eâ nocte in Pinſianis, cum delectâ manu, re perſpectâ, obuerſari: certâ atque indubiâ venturi clade, ni incepto abſtitiſſet. Notat hoſtis, de mittendis aliquot ex vrbe ſcaphis transvehendo militi Præfectum clam admonitum. Succeſſu nullo. licet nuſquam aut Bauvaiſius aut Bergius deeſſent: loco quoque, ſcaphis deſtinato, ante capto. Ita Imperator hoſtis, extra noxam ipſe, à fortunâ toties repulſus, Boxtelam deflexit. cujus arcem paulo ante Comes Salazarrus expugnarat, non præſidio, non munimento, firmam. quam è noſtris quinquaginta tum, aut ſummum, ſexaginta, obtinebant, quibus * optio centurionis imperabat. Quam victoriam, nec modicam, nec leuem, hoſti viſam, interceptæ literæ cum alio, tum ſcriptæ in Hiſpaniam, teſtantur. acſi ſubito perruptæ Alpes, aut ad omnes Batauorum vrbes aditus ita daretur. Vbi, quotquot arte nandi fiderent in caſtris, convocati: dein, citra ſpem ad exitum, dimiſſi. Conſtat, peruia atque invia tentata: vada ſimul ac profunda, alibi, ac juxta Batauorum aggerem, clam explorata. Aliquot colonis id negotii delatum: in quos, paulo poſt à noſtris interceptos, capitali pœna vindicatum. Sunt qui decies rimatum aditus, ac toties fruſtratum ferunt. Cætero,

*Lieutenant

vir acer animi, quo major expectatio virtutis, multa olim felicisſime auſum circumſtabat,eo inter cuncta æmulanteis magis anxius agebat. Hinc obſiſtere hoſtis, & pro hoſte quolibet, propinquus ſanguine imperator, cujus efficax exemplum, Principes nobilitaſque intuebantur. Ante cunctos pubes Gallica, quæ vt viſendi ſtudio aut militandi, ita odio Præfecti vrbis, vndique aduentabat. Cujus cauſam veterem ferebant; cæterum indignitate rei apud memores recentem. Anno ſæculi ſuperioris vltimo, quo Claudius Borlotta fineis noſtros prope Moſam territabat, inter cæteros, qui Gallum equitem ducebant, Brevautêus fuit, domo atque origine Nortmannus: vt majoribus illuſtris, ita mente celer atque aduerſus hoſtem quiduis exequi paratus. Cujus Propræfectus,vt in crebris velitationibus, ab equite præſidiario, ad Syluam Ducis, cæſis aliquot è ſuis, inter cæteros quos hoſtis cœperat, abductus eſt. Qui, occaſione quâuis, moram carceris pertæſus, poſtulare, vrgere, datis literis ad ducem petere, vt redemptionem feſtinaret. Homo militaris, ac ferocibus plus „ ſatis promptus, propere reſcribit, Neque ſui eſſe mi„ litis, ab hoſte capi: neque moris, captum redimi ab „ hoſte. Probrum ac flagitium ad damnum liberalitate „ addi. Nec placere, precio redire quenquam vnde per „ ſecordiam abîſſet. Quos in prœlio, non virtus texe„ rit non arma, fruſtra auro aut ſtipendiis penſari. „ Etiam exemplo militareis animos corrumpi, quibus „ ſuam ſic imbelliem, aut alienam, commendari. Pares „ prope numero ac armis qui fuiſſent, quo, niſi fugâ ac „ pauore, victos? Velle à cæteris ſuorum hanc ignauiam „ abeſſe. quorum ſingulos, ſi pugnam aut certamen hoſtis

hoſtis daret, binis poſſe opponi. Id paratum, loco quo- »
vis, quâuis lege experiri. Animo conſtare bella: quem »
quo acriorem cuique, tanto aliis ſuperiorem. Sibi cæ- »
teriſque ſuis quantus eſſet, hoſtem, vbi vellet, cogni- »
turum. Ante alios Præfectum. Documenta cuique »
ad manum, & victoriam virtutis vtriuſq; teſtem. Me- »
tus ac dedecoris confeſsionem, penes detrectantem »
fore. Literæ, vt mos in captis, prius lectæ quam exhi-
bitæ, indignitate animos pleriſque inflammarant.
Enim vero, non ferendum contumelias: nec Diui ſi- »
nerent, vt animi ac gloria Belgarum, deſpicatu cui- »
quam aut contemptu eſſet. nedum exteris, qui im- »
petu quam manu prævalerent. Eſſe arma ſibi eſſe ani- »
mos, quos patriæ ac publico impenderent. nec minus »
ſanguinem ac mortem ſua vulnera, quam hoſtis, tu- »
midi ac præferocis, ſequi. Indigniſsimos, queis merces »
ſui ac ſtipendia tot annos proceſsiſſent, qui hæc tole- »
rarent. Ni dimitterentur, ſponte ituros. Grobben- »
doncquius, exiſtimationis ſuæ tenax, atq; aduerſum
hæc, vt aliena, firmus, vrbis regimen ac publica cau-
ſari. Velle, vt priuata ac jam cœpta, cum priuatis age-
rentur. Curam turmę, homo obſcuriſsimus, Gerardus
Abrahamides gerebat: quem cum aliis pleriſque qui
ibidem, Bergam, quam Gertrudis dicunt, ex infami
pacto hoſti dedidiſſe, pauci ignorabant. quibus, homo
ingens animi, ac tali loco nimius, antiquæ ſtirpis atque
cæterorũ tum oblitus, diem dicit: niſi, quod, ex more
militari, de redemptione prius ſtipulatũ ferunt. quod
plerique, causâ transfugæ, haud difficulter credunt;
cujus maxime intereſſet, ne poſt facinus in poteſtatem
hoſtium veniret. Porro agitur vtrinq;. tempus conve-
nit ac pugnæ genus. quanquam de certamine, vt fit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

„ extra ordinem conſultus Princeps, reſpondere, Quo „ erectus cuique magis animus ac virtus, magis publi- „ co ſeruandam. Et, quod decus ex infami hoſte peti? „ cui victor pariter ac victus, ſimilis diſcedat. Tum de loco (nam par numerus placebat) quem vicinum vrbi, pugnæ auidus admiſit. *Myricetum, ſeu planicies Vuchtana, nomen. Portis, aut ex agris, ſtudio ſpe- „ ctandi pariter effuſi, inflammare ſuos; Irent for- „ tes, irent fortunati, quorum virtus eo die additura „ famam cæteris aut detractura eſſet. Vtrinque numero viginti. Belgæ inde, hinc Galli. niſi quod in noſtris Belga vnus, Vtenengus, domo Trajectinus. Hoſtis vafer, lectum è trecentis militem, ad menſem ſtrennue exercitatum, noſter, vt ſe dabat, ex fiduciâ virtutis propriæ adduxit. quæ euentum ſæpius corrum- „ pit. Simul propinquatum hoſti, Breuautêus, Miles, in „ hoſtili, inquit, ſumus. & ante ora ipſe. quem huc euo- „ care auſi. Arma nobis totidem & manus. Pares nu- „ mero, virtute plures ſumus. Et me haud vnîus inſtar „ heic videtis. Hoſtem quiſque legat. Mecum cura ea- „ dem ac labos erit. Qui de fugâ cogitaſsit, eum Diræ „ omnes infereique peſſumis exemplis heic mactaſsint. Poſtquam tubæ cecinêre, moræ omnis ac colloquii impatiens, in hoſtem, qui ductabat cæteros, ſeſe offerentem, equo frænis ac calcaribus admiſſo, magnâ vi defertur. quem, vt erat plenus ſui, ac juventâ ardens, actâ inter galeam atque extima thoracis glande, equo dejicit, atque humi voluit. Suum hinc in cæteros permittit: vt par animo aduerſum omnes, ita viribus inferior, quod vnus. Donec ſui, gens, vt animi vigore ita impetu invicti, ſicubi ante efficaciam non cadit, Deos omnis homineſque in prœlio teſtantem, niſi

*Vuchterheyde.

pro

pro ſe quiſque inſtaret, niſi præeuntem pulchro ad poſteritatem omnem ac memoriam exemplo, ſequerentur, fugâ pridem cœptâ, deſerunt ac linquunt. Erat inter cæteros Petreius, intimâ neceſsitate notus Duci, menſæ quoque aſsiduus ac vitæ comes. Qui tum fugæ ac pauoris princeps, mox ad hoſtem tranſiturus, imitatione cæteros pertraxit. Cum interea dux ipſe, cum propinquo vno, nihil vi humanâ aut virtute inexpertum linquens, animis ac manu, quando cætera deeſſent, pulchrum exitum ac hoſtem provocare: mori certus, niſi integrum jus belli acclamatum, vim ſtitiſſet. Hoſtium pleroſque, ſaucios aut cæſos, inter quos & deſertoris fratrem, equos ſex viginti, magno cladis argumento, cecidiſſe, ipſum tribus ordine ſuffoſsis, toties in alios à ſuis reſtitutum, conſtat. Breuautêus, vbi circumſpectans proxima, deſertum ſe à ſociis, ac ſolum inter hoſtem, mox circundari ac duci videt, ingens primo æs offerre. Cum aduerſus vim, nec miſeratio nec virtus poſſet, præter fas, ad vrbem tractus, à Iohanne Milio, Præfecti aquilifero, ac cæteris, qui extra pugnam ac conuentum fuerant, triginta amplius vulneribus confectus cecidit. Inter ictus lentos, ac vindictæ ſtudio diuturnos, teter ac cruentus viſu, quæſiuiſſe fertur, Quid commeruiſſet? „ Quod humanum ſemper, quod diuinum jus fuiſſet, „ hoſti hoſtem nocuiſſe. Et, cur fato tam degeneri pe- „ riret? Arma ſibi traderent. in mortem ruiturum. „ Iuſſeritne Grobbendoncquius aut approbarit, inter ſtudia atque odia diſſentientium vix liquet. & ad verum cuncta dirigenti, neque cuivis nec facillime accedendum. Cadauer ab affinibus ac ſociis, Dordrechti Batauorum, quo deferri juſſerant, pictoris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

arte expreſſum, ac dein in Galliam tramiſſum, diro vulnerum ac ſanguinis aſpectu animoſam gentem concitauit. Quorum primus Haucincourtius, vir nobilis, virtutis tantæ per injuriam oppreſſæ, animo intolerans ac ſui impos, ad certamen Grobbendoncquium, iiſdem cauſis, quibus ante, declinantem, evocauit. Et mox alii ſecuti. Filium, ad Bredam, ſpiritu eodem eâdemque mente facinus ac patrios vlturum manes, Propræfectus junioris Grobbendoncquii confecit. Cujus facti indignatio acerbitaſque, vniuerſum nomen Gallicum tum concitabat. Inter quos nonnulli, exquiſitis deteſtationibus Præfecti caput
» execrari. Deum velle iratum, ni vindictâ compotes in
» patriam redirent. parum memores, quid Patrum Principumque fides poſſit, nec priuata publice cognoſci. Cæterum in oculis, in ore omni Imperator eſſe. quem non labos vllus, non propinquus hoſtis, non timenda eminus aut cominus tormenta, deterrere, quin ſermone, aſpectu, militem firmaret. Neque pauca aderant quæ animos conciliarent. Imperandi expedita ratio ac lenis; vt militiâ ſubacto, & ſub fratre tanto. Vultus, qui benignitatem ſtatim promeret, conſilia ad exitum celaret. In deliberationibus, quærendo, quid ex vſu, ac mouendo, cæteris præire. vt quæſita maxime probarent quibus jus diſſentiendi non adimebatur. Sermo, vt familiaris, & qui tamen definiret. In delictis exequendis, parcior, nec ſegnis. & iraſci doctus quantum expediret; primum animi atque imperandi moderamen. Accedebat meritorum æſtimatio ac cura, pro quâ ordines ac gradus, ſi qui bello cecidiſſent, vltro ſæpe mandabantur. Non æs militare diu prolatum: non periculis expoſitus

frequen-

frequenter miles. cujus ſæpius virtute quam cruore in caſtris vtebatur. Nocteis ipſe exſomnes, dies curis ducere ac vigiliis exercitos. Ad primum mane, ſi quid minaretur hoſtis, ſingula circumvehi, atque in cuſtodiis verſari. Vix reuerſus ac compoſitus in ſomnum, ſi quid alibi increpuiſſet, exilire, circumſpicere hoſtem, aut redire ad ſuos. Vbi labor rurſum, &* acceſſus, quanquam hoſte jam propinquo, ideoq; in armis noſtro, calide promoti. horâ ſæpe eâdem, quâ admiſſus ſomnus & turbatus. Si quod pulcrum facinus patrandum, præmio paciſci, & haud multo poſt largiri. Increpare ſegneis, alios ſpe lucri, aut commemorando quæ geſsiſſet quiſque, ad audendum licitari. Ante cæteros Britannum, quem, in mortem ac contemptum vitæ, tanquam rediturae, imperantes agunt. Accedebat gentium duarum æmulatio, de quâ commemoratum: eo acrior intentiorque, quod nuperrime hoſtes, in iiſdem caſtris de virtute nunc haud minus quam tum de victoriâ, certarent. Quæ mirari, etiam externi. In congreſsibus, in epulis, ad cœlum ferre: ad nomen Ducis, in hilaritatem ſolvi. Patres, qui autoritate bellum ac conſilio regebant, cura altior habebat. Qui ſuppliciis quotidie ac precibus inſtare, Animi ardorem vt remitteret, ac „ ſummæ rei conſeruaret. qui quo major, tanto cau- „ tius habendum. Curæ quidem numini diuino no- „ ſtra eſſe, maxumo felicitatis argumento jam teſta- „ tum. nec humanas tamen cautiones neglegendum. „ Tot mortalium, præſentium, abſentium, ſalutem „ agi: quam cum vno toties iiſdem caſibus exponi. „ Militem, in bellum aut in mortem, æſtimatum duci, „ vt quocunque ejus caſu pūblica procedant. Fruſtra, „

ni

* Approches.

„ ni ſuperſit cui innitantur. Votis nihil addi poſſe, niſi
„ vt ad magnitudinem ſucceſſuum diuturnitas accedat. quod è ſuis primum. Scriptæ quoque ejuſdem argumenti literæ, jam aliis vulgatæ. Ad quæ ipſe, Sæ-
„ pius compertum ſibi, quantum ſe abſente opera
„ procedant: neque pœnitere, quantum, cum adeſſet,
„ promouerent. nam alacritatem ſingulis ab vno addi.
„ Sollicitum ac graue ſibi, tot tantoſque ſumptus fieri
„ in diem: quos perire publico, ni recte impendantur.
„ Partes ſibi has impoſitas à Deo, has tuendas. Nun-
„ quam alienas aut temeritatem placuiſſe. In ſuis cui-
„ que pulchrius agendo quam invtili aut ocioſâ morte extingui. & præfixum cuique vitæ finem. Nobis conſtat, monitum ab hoſte, vt Principem ſe meminiſſet, nec ſecuritate ſui fatum provocaret. Ego, quo humana altius perluſtro, eo vitam Principum ac curam firmioribus præſidiis inniti reor. Siue immenſa ac æterna mens illa, quidlibet complexa, proximos in terris acrius tuetur. an, quod cæteris ad deſtinata provehendis intereſt, vt vnus maxime ſeruetur. Neque tamen caſuum incerta atque occulta nobis, provocanda dixerim. Pleriſque conſtat, junctos lateri haud ſemel machinis ſublatos: pilas grandiores ante pedes, tanquam interuentu numinis, prolapſas. quas ſtitiſſe vis humanâ major videbatur. In propinquo, vbi impetus hoſtiles ac bellorum caſus * Crepicordium arcebat, vitæ ſocia cum ſucceſſore, vt periclitanti propius timeret, inter metus ac ambigua rumorum agitabat. Quæ ſi quando poſt cuſtodias nocturnas raptim interviſeretur, dubia videndi denuo quem curæ militares revocabant, victa matronali luctu, feſtinantem dimittebat. ne aduentu quidem

* *Creuecœur.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

dem ſatis læto, cum diſceſſum minaretur. & bis gemitus ac mœror. Quæ militiæ ac Reipublicæ intento, maritali tamen animo transmittebantur. Britannis interim Galliſque * acceſſus ad caſtella promoueri. *Approches.* Quo conatu ad externa Iſabellæ opera jam ventum. Quæ cuniculo tentata, nec ſic facile ceſſura, aliud ſuadebant: & jam multo ſanguine animus ac virtus ſua Gallo ſtabat. Quorum plures, neque pauci è primoribus, quos inter & Famarſius ac Vitenvallius, Præfectus alter legionum, alter vigilum, vulneribus adfecti, mox & fato conceſsêre. Forte Dux Candalius tum imperabat. Cujus ſuaſu, & quod temporis jactura properanti iniquiſsima, vtranque foſſam vineâ continuatâ transmittendam placuit. Quam tormentis aliquot ac † ſtationibus firmatam, pene * & ſuccincto valli jam admotam, clam aggreſſus, ac propemodum ingreſſus nocte hoſtis (quinquaginta facinus id auſi) poſt certamen atrox ſatis, à Douchantio, haud ſegni † legionis Proprǽfecto, cui partes imperandi tum obuenerant, repulſus; cæſis aliquot aut captis. Neque ſegnius Britanni aut diuerſa, quos hinc pudor, hinc virtutis conſcientia agebat. Cætero, vt cuique ardor, ita de ſucceſſu arbitrari, cui tempus quoque ex voto quiſque deſtinabat: quod, vt ſæpe fallit, ita feſtinanteis acrius ad finem vrget. Nec vtriſque diſpar hoſtis, ita animis atque armis ſingula tueri, vt ne paſſum quidem, niſi vi majore ejectus, cederet, aut de ſe largiretur. Quæ inter, nihil æque ac ignita jacula terrere. (* malo Punico in caſtris nomen.) quæ nunc machinâ, nunc manu ſpargebantur. Negant quicquam ſæuius repertum, ex quo mortis titulos ingenio produximus. Correpti

† *Corps de Garde.*
* *Faulſe-braye.*
† *Lieutenant-Colonel.*
* *Grenade.*

eâ tempeſtate, tanquam fulmine, mortales cum murorum aut domorum partibus impellebantur. E quîs vnum machinator deſtinato actu cum libraſſet, arma, vaſa, veſtes, aliaque in aërem rotata aduertêre noſtros. neque dubitatum, quin armamentario ex vſu incidiſſet. Quæ ab hoſte, quamdiu ad externa munimenta, aut * ſuccinctum valli, optimum vitandis talibus ſeceſſum, aditus pateret, fugâ aut receptu vitabantur: occupatis, atque in arctum milite redacto, gemitus, clamores morientum exaudiri; vix ab hoſte aliter excepti. Et jam voces (eò propinquatum) ac colloquia miſceri. Peti quoque fumo, per ludibrium aut jocum militarem, mutuo ſe inuitare; mox de integro ac magis ſæuituri. Læta atque amica, vt in pace aut epulo locuti, vulnerabant aut cadebant. Octodecimum ejuſdem Iunii funeſtum libertatis res habuerat. quo Petrus Heinius, de quo haud pauca ante memorata, machinâ majori in certamine nauali ictus, vitâ pariter ac præfecturâ maris ceſsit. Pro Republicâ extinctum, manus ſociorum, expugnatis nauibus hoſtilibus, victoriâ multâque cæde in præſens, famâ in futurum gloriâque, ad poſteritatem tranſmiſêre. Mors quam hoſti læta, tam rumore aduerſo apud nos accepta. Plurima ignotus, ac illuſtriora ante famam geſſerat. intentum patriæ ac ſumma meditantem, mors oppreſsit. Indiam jam olim, maximâ cum curâ perluſtrarat: quam tum magnis facinoribus ac laudi deſtinabat. Literarum prope rudem, vitæ ſuæ ac virtuti propiora oblectabant. Ocioſus, terræ ſinus, ſpatia ac ſitus contrahebat; orbis, quem perſpexerat, formator ipſe: exprimendi quoque ac formas nauium delineandi, mire gnarus. Cætero cum mari

quod alias Lorica horizontalis, vulgo Faulſebraye.

transi-

tranſigebat. cujus freta ac vicina terræ vada, non ad ludicram jactantiam, vt nautica juventus ſolet, ſed vt nandi arte aduerſus ſubita inſtructus eſſet, transmittebat. Corpus viro vegetum ac ſucci plenum: colos viuidus: erectus animus ac præſens; ſuis tantum artibus imbutus. cujus vim ignorant, qui inſolita tuentur, nec capeſſunt. Sermo rarus, ac nonnunquam cogitatione interruptus. Animum ingentem vigor oculorum præferebat. Vultus grauis, neque pro fortunâ quamdiu impar. nam vberiorem & imperium, virtute commendauit: ne illis quidem detrectata, qui ſeueritatem nimiam clam accuſarent; niſi quod ſuſpecti de ignauiâ, ambitioſum credi mallent. Et vrbanitatem quidam requirebant: parum gnari, quantum mare & palatium interſit. à quo procul, manu Principem demerebatur. Diſciplinæ, vt in turbâ vitiis aut ocio corruptâ, ſtrictæ ac contentæ. Verba nauteam ac mare olebant. ni parêres, compedes ac numæ. Formidata, quibus probitas aut pudor. nam infamiæ ac famæ, poſt amiſſam, neque cura, nec diſcrimen: pœna ac ſeueritas flagitiis æquanda. Caſuum incerta, nec, vt vulgo, provocare, nec oblata detrectare ſolitus, temeritate intactum nomen, providentiâ ac curâ in futurum tuebatur. Nemo plura, nemo fortius euaſit. Neque ſemel, cum vel forte, vel vi tempeſtatis, in profundum lapſus eſſet, littori aut puppi, curâ numinis ſeruatum patriæ, marini inſtar monſtri involutum algæ, adnataſſe ſui memorant. Ad Baiam pertinaciter cum hoſte decertanti, & ex pugnâ ſaucio, cum ægrum corpus, vt pugnantibus adeſſet, paullum erexiſſet, ſtratum, cui incubuerat, tormenti ictu ſubito ablatum. Quæ haud raro,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

fati ſui admirator, & modeſte, prædicabat. Diſciplinam etiam nunc juuat. quæ ad tempus, maximâ commerciorum noxâ ac diſcrimine prolapſa, hoſti vim ac ſpiritus addiderat. Vnius famâ ac ſucceſſu, vinci aliquamdiu, magnâ ad vlteriora ſpe, deſiimus; converſo in victorem metu. Nihil altius bonorum mentes penetrauit. Erant, qui invidiæ in tempore ereptum ferrent, quæ æqualium virtutes, niſi ſpecioſis atque inanibus ſubnixas, leuitate eâdem deprimit quâ tollit. nec fortunæ de cujuſquam magnitudine credendum, niſi cum nocendi vim amiſit; quod poſt ſummam lucem homini in terris datur. Funus Delphis Batauorum, apparatu maximo, ad ante tertium inſtantis Iunii, elatum, omnis ordo Reipublicæ deduxit. Inter ea Iſabella premi: vt * ſuccinctum valli, pone exteriora opera ſubrepens, pene jam teneret noſter; pulchrum quidem atque in juſtam altitudinem eductum, magis tamen hoſtium opinione, quam re firmum; tandem & Candalio, quibuſdam quoque è noſtris dehortantibus, perruptum. Sic exactus hoſtis, atque eâdem parte vinea immiſſa. Poſt quæ propugnaculis ſuccedi. quibus quanto propior Gallorum pubes, eo minus voto moderari. Moræ omnis, maxime victoriæ intolerantes, manu modo ac virtute experiri: modo inter ſe hortari: modo probra jacere ac minari: ſumma mœnium conſcendere ac ſe oſtentare obſeſsis: prorſus nihil aliis aut ſibi tutum pati. Quæ ſilentio tranſmiſſa hoſti. iræ ac vindictæ ardor, preſſa aut ad tempus condita, in alios, plerunque & immerentes, expetebant. Interim cuniculus parari: cujus metu, die altero quam Boxtelâ à Bergio diſceſſum, miles clam evaſit. Ita Didius, qui imperandi

*Faulſe-braye.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

randi vices tuebatur, ſuos protinus induxit; alio facinore mox memorandus. Occupatâ Iſabellâ, aliquot tormenta protinus in vrbem ac Antonianum verſa: cujus itidem ad propugnacula jam ventum. Ipſum, alterâ hinc die, eodemque metu, quo ſuperius, deſertum. Alacri virtute vtrobique atque inſolitâ certatum: quam & ſors promouit; deſignatis imperandi vicibus, qui plurimâ pollerent. inter quos Harwodus, † legioni popularium Præfectus. Ad Antonianum, quod Britannis demandatum, via eminentior elatiorque, cæterum anguſta ſatis, deducebat. Aditus difficultatem inſuper lorica, (quæ * transverſa vulgo) intendebat; primo omnium, Harwodo præſide, deſerta. Inde † linea, ad dextram * vineæ appropinquantis, prohibendo aditu noſtrorum, ducta. Die altero dimidiata Luna, vltra foſſam † viæ coopertæ: in quo tela aliquot invſitata, præter haſtas & ligones, abeuntibus relicta. Nuſquam acrius pugnatum: multatusque ibi oculo Podwelſius, prætoriani militis Præfectus. Forte, Aſtelæo, equiti ac * legionis Propræfecto, cura tum euenerat, juſſumq; Ducis, invadendi hoſtem; munimento loci ac ſucceſſu pertinacem. Quinquaginta militum, cum * optionibus duobus, ſatis ad id viſi. ſic ejecti qui ſeruabant. Sed ad tempus. nam & ſpatium anguſtum, & expoſitum operibus vicinis; maxime caſtello, de quo agebatur, nondum expugnato: nec ligonum vſus, inter tormentorum jacula atq; ictus. Pulſus ergo ſimili vi noſter, & cuniculo admotus ignis. Quo accenſus alter, hoſti jam inſtructus, & vterq; maximo noſtrorũ damno. Terræ quippe aggeſtu, aditus præcluſus, læſi aliquot ex operis, nec pauci militum oppreſſi. Ad hæc vineæ vicinæ, pariter

† *Colonel.*

* *Traverſe.*

† *Ligne.*
* *Galerie.*

† *Contreſcharp.*

* *Lieutenant-Colonel.*

* *Lieutenants.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

diſruptæ aut impulſæ. Quæ eodem prope loco duæ; quarum altera cuniculo jam ſtructo, altera caſtello deſtinata. Cujus partem Aſtelæus humero excepit: violento ictu, & ad mortem; cæterum incluſus ferro, & aduerſus vim munitus. Alterius ruinâ, machinator Theodorus Nielſius, obſidionum aliquot delineatione, hujus quidem maxime, illuſtris, ſubito abreptus, ſub emoto ac congeſto puluere, anceps vitæ jacuit: donec ore & brachiis è vineâ exſertis, vt liberius ſic manifeſtius ſpirantem, invenêre amici. Quorum manibus, à vultu, oculis, ac toto corpore, diſcuſſa terra, nouo quaſi partu, diu deſideratum dedit: pede tamen dextero obtritum; damno nobili, ac famâ compenſato. Vineis refectis, nouus hoſti terror, & pro nobis. Ita tum deſertum vltro, quod virtuti inacceſſum fuerat, vt metu ejus dederetur. Paullo poſt, Harwodus, jam vrgente vineâ, ac penitus transmiſsâ, eâ vi incubuit, vt vltra deſtinatum obtineret: ita hoſtem, ſtrato ponte, neque penitus præ feſtinatione abrupto, fugientem inſecutus, vt impreſsione eâdem alteram * tranſverſam, vrbem verſus, inchoatam modo, expugnaret; quæ perfecta, longum noſtros moratura putabatur. Cui, ſatis per ſe editæ, impoſitum † ſuggeſtum cum tormentis tribus. Hoſtis vi dejectus, proximis operibus receptus eſt. Neque minus vrbi interim Erneſtus Caſimirus acriter inſtare, quanuis aquæ circumfuſæ vis haud parum moraretur. ne ceſſante quidem Brederodio cum ſuis, quem à Pettelano palus adhuc interjecta diſtinebat. Vrbi eâ parte propinquanti, via vna, vt anguſta, ſic iniqua, ſuperabat. quam hinc Dommela, hinc foſſa ingens ac paludes aſsitæ cingebant. cum præcipua hic opera

& vires

* *Traverſe.*

† *Baterie.*

& vires hoſti. Vbi Galli cum Britannis, æmulatione denuo commiſsi; rebus noſtris amiciſsimi, cum gente, cujus ſanguine ac animis haud modice libertas noſtra creuit. Nec torpere Gallis indoles, quos, ſuper inſitum ardorem, alienus excitabat. Stet hac fine ſociorum amor ac certamen, vt, quo inter ſe obnixius de gloriâ contendunt, eo acrius pro Belgico communi allaborent. Neque obſeſsi minus pertinaces, vel tentando iterum quæ amiſiſſent, vel tutando quicquid nondum hoſtis occupaſſet. In diuerſa interim conſilia ac rationes Ducem hoſtium inexpugnabilis obſidio trahebat. cui diducendæ quiduis experiri certus, militem Cæſareanum aduentare intelligit. Cæſar, quanuis hoſtem haud profeſſus, Regi id deberi ratus, cujus viribus Germaniæ res ſteterant, inſtanti ac per nuncios vrgenti, ne, quo tempore de re communi ageretur, opem ac ſubſidia tardaret, agmen numero haud modicum, ferociâ ac corruptelâ ſuis potius quam hoſti metuendum, mittit. turbam, ſpe licentiæ conſcriptam, efferam, ſeditioſam; quo frequentius impune multa perpetraſſet, eo acrius auſuram. Diſquiſitâ belli ſede, ante cæteras Veſalia probata; transmittendo commeatu, aliiſque, inter primos commoda. Cliuenſium id noſtrâ tempeſtate oppidum, Germanicâ in ripâ, propter Luppiam ac Rhenum confluenteis ſita: inter eas, quæ Imperii habentur. Huc tormenta, machinas, miſsilia, ac commeatus, neque modicam pecuniarum vim, transferre viſum. Hæc armamentario, hæc gazæ deſtinari. Ibi pedes, ibi eques conuenire. Eo Bergius accepto, litteris Præfectum Syluæ monet, Caſtra, præter ſolitum munita, penetrari ſuo milite haud poſſe, jam expertum.

„ expertum. Quare aliud agendum. Copias Cæſarea-
„ nas aduentare. manum validam in armis, quæ Veſa-
„ liam contendat. Iunctis viribus conſiliiſque, aliquid
„ tentandum quo ad pugnam adigatur hoſtis. Nun-
„ quam niſi obſeſſorum bono aciem auſuros qui nunc
„ quiduis minarentur. quibus, ſi id Diui proſperarent,
„ præmium virtutis liberationem dari. Quidlibet in
„ eo, vt obſidium tantiſper magno animo ſuſtineatur.
„ Non abeſſe quicquam, cui præſens animus adeſſet.
„ Tolerando paucos dies, multum operæ facturum.
„ Iſtas vbi accepiſſet, flammam è ſupremâ turri agitaret:
„ die ſubſequenti, fumo ſignum ex eâdem dandum.
„ Id, perlatas, argumento fore. Idem nocte proximâ
„ ac die, poſtquam miſſus eſſet qui reſponſum ferret,
„ repetendum. Vtriuſque ex vſu id futurum. Literæ,
vt aliæ haud paucæ, præter ſpem à noſtris interceptæ,
deſtinata eluſêre. Ita Bergius, ad omnia incertus ma-
gis, modo cuncta feſtinando, modo alia atq; alia vol-
vendo, prorſus animi diuerſus, tandem Boxtelâ diſ-
cedit; Grauiam, vt credebatur, obſeſſurus. Ipſa vrbs
in ditione Kukiana, munimentis, cæteriſque, quæ
firmando loco arte aut ingenio parantur, inter prin-
cipes noſtrarum. Neque cura vſquam Patrum aut
induſtria ceſſabat. Egeſtati auertendæ mille doliûm
farinæ, nauibus duabus mitti viſum. Quarum prior
cum per vada forte obhæſiſſet, vnus militum, qui
deducendæ additus à noſtris, clam elapſus, neque
multo poſt deſideratus, ſuſpicandi cauſam cæte-
ris injecit. quæ & properandi fuit. Commeatu,
quem majoribus imponi ſcaphis placuit, vix mœ-
nibus recepto, manus hoſtium ſecuta, qui ingenti
numero ac ſero aduenêre. Imperator noſter, quan-
quam

quam inſtituti tenax, prout quæque hoſtis ageret, conſiliis ac milite diſtrahebatur: haud ignarus, Graviæ, vel cæterarum causâ, ſuccurrendum. Simulata pariter ac vera, in diuerſa impellebant; æque ex occaſione nocitura, ni præverterentur. Forte cum viginti ſignis, quorum ſingula ducenûm militum, Præfectus legionis Varicus, ad flumen Iſalam invigilabat. Is pleramque manum, ex mandato, magnâ vi ad vrbem, cui timebatur, rapit; biduo quam ante mœnia conſpectus hoſtis, oppido receptus. Mox Stiromius cum quinquaginta aliis, turmiſque equitum viginti, Vahalin atque Iſalam è caſtris petit obſidetque; ripas fluminum, aduerſis commodas, ſuſpectas nobis, clam obire juſſus. Additum, vt cætera " per ſe curaret: nihil negligendum quod ex vſu: rei " ſummam agi. Quo tum tempore & Wilelmus Comes, qui Hemerti hactenus agebat, ad obſidionem & Orthana caſtra revocatus, partem militis Stiromio adjunxit. Cæterum haud paulo majus gerere hoſtis, neque vnius, vt præferebatur, vrbis curâ tangi: Bergio haud infeliciter ad alia conuerſo; ſi quæ, Iſalâ transmiſſo, ad Velauiam fors omnia tentanti viam daret. A quo Lucas Cairus, Lingæ oppido * Præfectus, cum duobus millibus præmiſſus, Gochum prope, locum capit; juſſa ibi cætera expectaturus. Inter ea Bergius, omiſsâ Grauiâ, quam quiſque deſtinabat, Mokam, vicum prope Moſam, lapide altero ab eâ vrbe, petit, trajectoque fluuio exercitum haud procul Craneburgo locat, Barbanſonio, cum turmis aliquot ac peditum ſex millibus, ad arcem Gennĕpam relicto; circumveniendi per incerta hoſtis, &, ſi quid auderet, adfuturo. Geldriæ, quæ fœderata nobis, partes

* Gouverneur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

tres plerique ſtatuunt. Velauiam, quæ Arenaco, Harderwico, ac Elburgo colitur. Betauiam, quæ ſimili vocabulo antiquum adhuc nomen & initium demonſtrat; vrbibus, Bureno, Culenburgo, Bommelâ, Neomagoque, habitata. Tertia, Zutphanienſis ager; cujus caput vrbs, quæ nomen dedit. Sæpe haud eueniunt, quæ eventura credas. eſt, vbi timide tentata ac vix poſt ſucceſſum credita, occaſione ſolâ prouehuntur. Securitate noſtrâ, & fortunâ hoſtis, foris aliquamdiu obſeſſores, domi vno die occupati ſumus. Cujus neglegentiâ id hoſtibus in nos permiſſum, plurimi ſcrutantur. Sunt qui ignorari malint. neque nobis ex induſtriâ celatæ veritatis inquiſitio aut cura, ad invidiam probatur. Cæterum, & tradita præſentibus & credita, eâdem fide reddam. Diſtractis varie, vt ante memoratum, vigilantibuſque noſtris, neque minus ſparſo hoſte, cujus pars Veſaliâ haud procul oberrabat, Cairus Dulquiuſque, ad nongentos, ſclopis vſitato longioribus armatos, locum Iſalæ, neglectum noſtris, ſpeculati, è præſidiis finitimis adeſſe jubent, pariterque, ne quid flumini trajiciendo deſit, ſcaphæ aliquot ad ſubita paratæ, cum tormentis, quæ ad manum, plauſtris imponuntur. Famâ, vt fit, protinus perlatâ, duo è proceribus, Arnemus atque Hacfortius, ad Comitem Stiromium legati, qui tum Vahalin haud magnâ manu tuebatur. quem parte alterâ, cum totâ vi ſuorum (deſtinato impetu eâdem nocte, vt fertur, in Betauiam) tenebat hoſtis. Nullo milite in Velauiâ, ad manum pauco, par diſcrimen imminebat. Miſsi (ſero, vt quibuſdam viſum,) ad finitimos prætores, qui agreſtes copias ad arma ſubita vocarent. quibus, è Stiromianis, ſigna

quattuor

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

quattuor cum turmâ acceſsêre. Additus ducendis hoſtibus Hermannus Coultienſis, portitoris Weſterovordani filius. qui & ſtipendia equeſtria feciſſe hic prius ferebatur. Quo haud dubie tum intellectum, Iſelordam peti. vbi & caſtellum, noſtris inchoatum, necdum penitus munitum. Viſum in hac feſtinatione, conſulem Dibbetium cum ſexaginta ciuibus huc mitti. Quâ eâdem nocte, ex aduerſo caſtelli, de quo memoraui, alterâ in ripæ parte, hoſtis consêdit. Vbi, dum expediuntur dum tolluntur plauſtris ſcaphæ, nauis noſtra, quæ ad fluminis præſidium ibidem ſita, ſtrepitu commota, ſocios nauales aliquot dimittit. qui plerique quanquam cæſi, hoſtibus terrorem, qui & vnde eſſent, injecêre: edoctis ante à ſacrificulo Dunenſi, tutum ibi aditum, nec vllo milite aut cuſtodiis inſeſſum. Quæ diuersâ parte dum geruntur, turma è * Betauiâ vicinâ, cum duobus ſignis peditum *Betuvve.* aduentat. Dirigendæ rei ac conſilio Hugenius Senator vna miſſus. Eques, ſi quid hoſtis interim tentaret, legere oram fluminis jubetur: qui attonitus inexpectatâ rei formâ, aliquanto intra primum lapidem ab eo loco retrogreſſus, dein † mole flumini op- †*Kribbe.* poſitâ defenſus, ſclopis longioribus agreſtes in planicie diſpoſitos abarcet. Et tormenta duo aderant, quæ interim promota, atque in loco fixa. Quo perſpecto noſtri, militem Britannum, quem tribunus Dabſius ducebat, tranſmittentibus jam flumen immisêre: ſigno altero, ſuperiori loco, quo tentatus primum aditus, relicto. Dabſius, pugnandi ex ſe auidus, conſpecto ad hoc, partim alterâ in ripâ militem tranſmiſſum, partim in aduersâ qui haud ſegnius inſtaret, inter primos cum ſuorum aliquot occum-

bit. luculentâ ſatis clade, loco tali, quanquam in vnius nece. Ita ſignum alterum vocari. Cui acceſsêre è ciuibus nonnulli, præeunte Hugenio ac moderante. Nauis, quæ, pleriſque cæſis, nullo vſu aut exiguo, in flumine oberrabat, Scotis aliquot inſtructa. durum id in armis ac laboribus infractum genus. Qui ne primis adhuc hoſtium conatibus interuenirent, ventus ipſe inter aduerſantes, ac tranquillitas obſtabat. vt ſubinde appulſa ripæ, aut infixa vadis, ſociorum artem ac conſilia fruſtraret. Ita vix in hoſtem acta. Inter quæ è ciuibus ac milite intellectum, fruſtra omnia tentari. ripâ alterâ admiſſos, locum inſuper munitum forte aut naturâ, inſediſſe, quem bis irrito conatu à Bojêro, legionis haud incelebri Præfecto, circumſeſſum aut tentatum. Neque multo poſt, & nauem, pilâ grandiori in certamine trajectam, mox depreſſam, vt jam hoſti liberum ad ſuos aditum, aut virtus ſua aut fortuna noſtra daret. Duo interim * campeſtria tormenta, Arenaco in ſubſidium aduehebantur. Queis vt peti fruſtra, ita deſtinatis acrius inſiſtere hoſtis. Nauis, ne tormenta precium victoriæ augerent, puluere nitrato ignibuſque abſumpta. Viribus noſtrorum Iſelordam ſubito conuerſis, defendendo loco, ſimul & ſubſidio ibidem præſtolando, victor, voti compos, domo vnâ ex agreſtibus accensâ, Bergio ex pacto ſignum dedit. qui cum agmine mox toto inſecutus. Hinc jam Iſelorda peti. Pari, quo in cæteris, ſucceſſu; ni tres turmæ, miſſæ à Stiromio, ductore Swatſenbergio, ſuppetias in tempore aduenissent. Quarum ſubitâ impreſſione, ad proximos receptus, quanquam nouo milite firmatus (mille ac ducentos numero Veſalia ſubmiſit) ſaucioque duce

*Velt-ſtucken.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

duce noſtro, denuo redactus hoſtis. Quibus curis anxii Geldrorum primi, ad Stiromium, Hacfortium Hugeniumque mittunt, qui ex vrbe Grauiâ, cum ſignis quattuor Præfectum ad ſe Varicum redire jubet. Ipſe itinere continuato Arenacum ſubito pertendit. Sero tamen aut effectu irrito, cum præter cæteram vim hoſtis, turmæ quattuor trans flumen conſtitiſſent. Rebus noſtris juxta dubiis & quæ pararet hoſtis, Propræfectus legionis Welderênus exploratum mittitur, qui, trucidatis partim obuiis quibuſdam, partim captis, ſingula cognovit. Re cum pluribus deliberatâ, aliis vi expugnandum, aliis cingendum hoſtem placuit. nec diſcrepabat inter omnes, quin celeritas ex vſu eſſet. Nam diſcrimen, rebus integris, vt fit plerunque, haud ſatis in quorundam animos admiſſum, tanto acrius communi pariter ac ſibi metuentes, quemque ſtimulabat. Quæ dum noſtri agitant, coorta ſubito tempeſtas atrox, cœpta placitaque abrupit. Nihil eâ tetrius Annalibus antiquis memoratum. Cœlum pariter ac tellus, vento, pluuiâ, tonitribus, infeſtis ignibus miſceri. Rapi quiſque in caſtris aut impelli: non vt ſui cura cuiquam, nedum cæterorum, eſſet. Ex autoribus aduerſæ partis conſtat, apud hoſtem haud minori ejus metu trepidatum: ſuſpicantibus pleriſque, ſummam eam noctem terris aduenisſe. quæ notata verbis prope totidem, referre viſum. Quo eventu, rei ſumma, & quod luce proximâ venturus credebatur Varicus, prolata; nullis dein viribus, & ſponte, tandem obtinenda. Hæc nonnulli. Alii fatalem tarditatem, neque miſſam ſuo tempore aut agreſtem manum, aut ſubſidium, Dousburgi, finibus

 tuendis,

tuendis, juſſu Ducis prouide relictum, neque monitum, cum decuit, Stiromium, nonnulli, ne tum quidem properatum ſatis, varie arguebant: meritis, vt plebis ſunt ingenia, ac declinantibus invidiam, ne temere accuſaſſe videantur, pariter infeſti. Maneat bellorum regimen ac modus, prout ſummis ducibus receptum. Nobis ſedet, ſedebitque, magna, minuma, exiguis momentis dirigi, aut peſſum trahi, nec mortaleis curas ſuis viribus trans fines alibi præfixos cuiquam expediri. Vnâ lege cætera teneri. in his, noſtra; quibus ſpei plus ac voti quam prudentiæ ad certum exitum rellinqui. Nec Stiromium, accepto nuncio, latebat, feſtinandum, ne vel muniendi ſua tempus hoſti, vel cum ſuis aduentanti Bergio daretur. Sed defuerat ſucceſſus. Peditum ad quattuor aut quinque millia, cum turmis circiter octodecim, conquiri atq; in hoſtem rapi juſſerat. ad hæc, jam Grauiâ cum ſuis Arenacum Varicus aduenerat. Nec hoſti ſupra mille pedites cum quinque turmis ea parte habebantur; vallo ac tormentis jam munito. quo, ne quid majore numero auderent noſtri, loco caſtris ante capto, prouide defendebantur. Opus ipſum, ſubitum ac rude, ſpecie* dimidiatæ lunæ, nec à tergo clauſum: pedes circiter ad quinque editum; cum foſsâ, totidem profundâ. quæ aſsiduo ac denſo imbre glandium protegebantur. Queis, & pilis grandioribus, objectus miles noſter, vt qui ſolis animis armiſque tectus, vallo protinus ſubiret, poſt diuturnam pugnam, plurimis amiſsis, feſſus ipſe, & expugnationi impar, ſe recepit. Accedebat his Baſſumius, equeſtris turmæ ductor, qui tum quattuor præfectus, munimentum idem, parte alterâ, non tamen prius quam aggreſſo pedite, tentare

** Demi-lune.*

tentare juſſus, cæterorum magis quam fiduciæ obli-
tus, cum haud paucis è primoribus ceciderat; incuriâ
(ſiue ardor pugnæ fuit) arcto loco, atque equitibus
iniquo, deprehenſus, ac cum ſuis circumventus. Quâ
tum ſtrage, duo ſigna infeliciter amiſſa, miles omnis
prope cæſus, aut in fugam datus, hoſti animos addi-
derat. Neque diu cunctari inter iſta Bergius, quin,
ponte è nauibus inſtructo, Iſalam cum ſuis ſuperaret:
quo trajecto, Diræ tandem, vico commodo, deſêdit.
Vbi, quod è transfugis aut interceptis literis tum pa-
tuit, ſucceſſus magnitudinem metiri animo, ac com-
mendare ſuis. Quæ in poſterum agenda, cum præſen-
tibus, abſentibus, ſermone ac per literas communica- „
re. Tres exercitus alendum. In Velauiâ, Dauentriam, „
Dousburgum, obſidendas. ne Trajecto quidem abſti- „
nendum. Alium in Friſiâ, in quâ de Embdâ aut Gro- „
ningâ, cogitandum. Tertium, quâ Syluæ Duci ſubito „
ſubueniretur. Adueniſſe finem belli, cui magno ani- „
mo inſtandum. Panis modo copia ſubmitteretur, quo „
in vrbibus, in agro, opus. Solo hoc, & aquâ, quam natu- „
ra cunctis propinaret, vitam tolerari poſſe. Quicquid „
hoſtis poſſideret, ex occaſione ac ſucceſſu inuaden- „
dum. Quem, vt erat animi velocis, nemo acrius vr-
gebat. Cæterum concilio, vt ante, militari, convocato,
nihil æque ac varia judicia tenebant, atq;, vt ferme in
talibus, diuerſi magis quanto plures. Neque deerant
iniqui rebus, ſero conſultantes, qui præterita aut aliis
probata accuſando, in futurum optima morantur;
rati quiſque peſſumum, quod geſtum eſſet. Suberat
quoque æmulatio ac liuor, & occaſio Dux ipſe, qui
ſucceſſu tot annorum, nondum ſatis excuſaſſe cre-
debatur apud cæteros quod Belga eſſet. nam externis
extra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

extra libertatem peregrini ſumus. Quidam acclamare, Quicquid primo expugnandum, imprudenter prætermiſſum aut neglectum. Arenacum, inſulæ totius munimentum, non operibus, non commeatu firmum, (quo erepto, nullum Rheſæ aut *Embrîci vſum,) manu tactum prope ac omiſſum. Inde Wageningam, inde Rhenam, (& quid cuncta?) ad Betauiam ac Bommelanam inſulam, acceſſum facilem ac pronum dari. Vnde ad caput rei, Syluam Ducis. quam obſidione eximendam; finem omnium quæ gererentur ac ſucceſſum. Vnum id ad mentem ac præſcriptum Regis. à quo, tanquam alia agentibus, recedi.

*Emmerich.

Forte &, nec fruſtra, addebatur, Fugere hoſtem, qui in alieno, ſine commeatu neceſſario aut apparatu, clauſis mœnibus ac muris, nullâ potiundi ſpe, errarent. Et quid aliud quam famem ſequi, qui deſertam ſterilemque terram, nullo vſu patriæ, cum damno ſuo peragrarent? Vbi præmium victoriæ, egeſtas. &, ſi pergerent, calamitas, ac fœdæ mortes: quas vtilius ad vrbem circumſeſſam, ac diſcrimini expoſitam, ſubiri poſſe. Quo vertendos, ſi qui ſupereſſent, animos, ac ferrum. Alii, Dauentriam, Zutphaniam, Dousburgum, occupandas. Hanc inprimis, raro milite ac cibariis inſtructam. Quidam, igne, ferro, populationibus, graſſandum: quibus pervicacem hoſtem, nec ceſſurum niſi metu, domum atq; in ſua redigendum. Qui arcana penetrare videbantur, oppida, Auſtrali freto aſsita, tentandum. Amersfurdum, Harderwicum, tandem & Trajectum inuadendam. Ipſum Amſtelam ſic premi, & terrorem latius quam arma ſpargi. Multa pro ſe fore. Inprimis foſſam, quæ è freto Amerſfurtum petat. quâ, Dunkerckâ vſque, opem ſociorum

rum ac ſubſidia admitti. &, ſi armis teneatur, Friſiam patere. Aliaque ejuſmodi deinceps, quorum vana pleraque nec prompta, magnis ducibus pro Bergio probatum. quæ inſpecta nobis ac omiſſa, breuitatis cura vel tuebitur vel excuſabit. Cæterum, pleroſque in noſtra jam admiſſos, inchoata modo res fallebat; irritatis, qui Rempublicam & arma, ad præſcriptam rationem, vt in ordinatâ patris domo, neq; in diem, ſed vt permanſura, moderantur. Quæ tum prætervecti, & pro ſpe ingentes, aliena diſponebant; necdum gnari, quæ ad ſingula deeſſent. Ipſe, quanquam, non ſe machinis, non commeatu aut ſtipendiis, ad expugnationes aut obſidiones lentas, ſat inſtructum, aliaque cæteris ignota, haud neſciret, ſpem vbique vultu præ ſe ferre. Neque nimia jam loqui. vt plerunque ſubitam felicitatem nemo recte moderatur, niſi quem in poteſtate aduerſa adhuc habent.

LIBER SECVNDVS.

PRINCEPS ARAVSIONVM, ſupremus belli moderator, in obſidionem adhuc animo conuerſus, nuncio trajecti fluminis haud dubie moueri. Et ſuadebant plures, Oc-
currendum hoſti, nec præſentibus cum „
damno inſiſtendum. Melius incœptum & adhuc am- „
biguum relinqui, quam tot oppida, tot agros, ſpe in- „
certâ deſeri aut tradi. Duci alia videri. queri merito,
ac indignari, Aſidenti ſibi vrbis mœnibus, quæ plu- „
rimarum inſtar eſſet, atque in omnia intento, hoſtem „
ab improuidis in patriam admiſſum. quam, ni occur- „

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

„ ratur, expugnari. Id periclitanti vitam valetudinem-
„ que præmium reponi. Quibus Arenaci res commiſſa
„ eſſet, ſolos deſeri aut hoſtium conſiliis opponi. Poſſe
„ & metu proprio, vt fere ſubitis, impelli. quo non
„ ſibi, nedum alienis, recte prouideri. Cæteras ſubſidio
„ ac commeatu, niſi hinc petatur, deſtitutas. Copias,
„ quæ ſecum, vix obſidioni pares, & ſi diuidantur,
„ ipſam ſolui: aut, quod toties tentatum, vrbi cir-
„ cumſeſſæ militem immitti. Fœdum atque indignum,
„ prope compotem jam voti, in diuerſa trahi. Fruſtra
„ tot impenſas ciuibus indictas, tot ſtupendas moles
„ operum exſtructas, ſi inglorio ad ſuos redeundum.
„ Vrbis liberandæ ſpe, Velauiam teneri. Forte, nec mu-
„ tari poſſe, quod commiſſum. Quid ſi hoſti inſuper
„ vrbs relinquatur, cujus causâ cætera tentata, nec ſuc-
„ cedat, quod adhuc incertum? Rem ingreſſum ſe, quæ
„ orbis expectationem concitarit. Tot vbique Princi-
„ pes eventui intentos. quoſdam & adeſſe. Hoſtem
„ toties præſentem, ſine ſpe repulſum. Vt abſenti cedat,
„ cui non ignauo approbari poſſe? Vitâ ſibi quanto
„ ſatius defungi, quam autoritatem patriæ ac ſuam,
„ non virtute ſuâ, ſed contemptu noſtri ac ſucceſſu va-
„ lidis, relinqui? Nec deliberandi ſpatium dabatur, neque feſtinatio ſat tuta. Mora pariter, & quicquid nimis properum, pro hoſte. Inter varia conſilia, quæ duo ſaluberrima, obſidionem non omitti, neque minus, cæteris occurri, viſum. Aduenêre & è Patribus nonnulli, qui obſidii continuationem, cæterorum nomine ac mandato, nunciarent. Interim per vniuerſam inſulam diffundi hoſtis, à quo ad ſubvrbia ac muros Arenaci tum peruentum. Vbi, quæ ex vſu cuique, rapi, trahi, ſpoliari: cætera injectis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

ignibus abſumi. Nihil extra vrbem cuiquam abditum aut ſuum. Intra, metu ac pauore cuncta conſternari. Quidam clam, nonnulli, vt res dabat, palam fugere aut elabi. Vnde terror. & ſic plures. Facies inuſitata rerum, animos turbabat. Ocio armorum, tanquam longâ pace imbutis, hoſticus exercitus ad portas: qui vrbano militi præeſſet cum autoritate, nullus: copiæ pro loco ac diſcrimine vix modicæ: quæ quamdiu ſine imperio vnius, tanquam nullo, & ſine vſu, habebantur. non tormentis vallum, nec fortaſſe cæteris aduerſus moram ciues ſat inſtructi. Neque minus formidabile vicinis, caput Geldriæ, tot Ducum olim & imperii totius, nunc & juriſdictionis ſedem, prope ab hoſte tangi: non antiquam loci majeſtatem, non exiſtimationis noſtræ reuerentiam obſtare, quin impune in noſtris, domi hactenus aut vltro impetiti, graſſarentur. Nam contemptum hoſtis, inde ſpes, hinc metus ſequitur; promiſcuo errore vulgi, vt plus poſſe exiſtimetur, qui plus audet. vnde in bello ſua defendendi vis ac gloria in arcto ſemper, & offenſione animi accreſcunt. Igitur Erneſtus Caſimirus, Friſiæ Præfectus, propere eo miſſus; vigil, circumſpectus, acer, omnium in caſtris fatigator, indefeſſus ipſe; non quieti, non permiſſa ſomno, muniis eximere conſuetus: cęterorum quoq; quę neceſſitas indicit aut natura, parcior quã operæ aut ſui. Quinquaginta quinq; ſigna, turmæ quatuordecim ſecutæ: quibus jungi poſſe videbantur quos Stiromius ducebat. Iuncti, ſigna centum ac viginti, turmas ad triginta quattuor explebant. Gallis Hauteriuius, Britannis popularibus Harwodus, Scotis Haius, Didius noſtratibus, præfecti. Quiſque moniti à ſummo Duce, vt Betauiæ in- "

» primis caueretur. cætera, quæ facto opus, ſinguli
» in loco, ac per ſe viderent. Super omnia, Zutpha-
» niæ, Daventriæ, Dousburgo, Swollæ, cæteriſque vr-
» bibus vicinis, commeatibus ac manu ſuccurren-
» dum. Eâdem tempeſtate Geldriæ, Tranſiſalaniæ
» ac Trajectini proceres admoniti, intentus quiſque
» vt ageret. Iumenta, fruges, cæteraque, agreſtum
» quiſque in vrbem comportaret. Quæ transferri
» ſubito haud poſſent, flammis corrumpenda darent.
» Omni rerum copiâ atque vſu, prohibendum ho-
» ſtem. Facile intellecto, vltimam neceſsitatem armis
prævalere. &, vt opibus ad vrbem, ita hic pe-
nuriâ certandum. Brederodius, Trajecti mode-
rator, oppidum curare juſſus. Ac tum forte mili-
tem, in Indiam ad Occidentem deſtinatum, venti
adhuc detinebant; queîs aduerſis, ad ſecunda no-
ſtra vſi ſumus. Vrbi defendendæ, mille electi. Qui-
bus aliquot è Danis acceſsêre, qui poſt pacem
Regi initam, militiâ ſoluti, temere oberrabant. Le-
gio Morgâni, indidem reuerſi, Swollam ac Dauen-
triam dimiſſa. Ipſe, Mudam ac Nardênam, aliâ cum
manu, delegatus. Legiones ternas Theodorus Fal-
keburgus, caſtris Suecicis Præfectus, Regis ſui
ſacramento hic rogarat. quarum pars Trajectum,
Swollam pars, Dauentriam ac Campos, miſſa. Ne-
que major vſquam plebis, ad collationes quaſvis,
Patrum vrbiumque vicinarum, ad tutelam patriæ,
prolixior effuſiorque liberalitas ac fides. Amſte-
lodamenſibus præ cæteris vbique promptis: quo-
rum opes, animus atque erga ſocios munificen-
tia æquabat. Tempeſtate eâdem & Hautainius,
Sluſano oppido Præfectus, cum delecto è præſi-
diis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

diis Flandrorum milite, ad foſſam, quà Trajectum iter eſt, deſedit. A quo, poſitis ſtatiuis primum ac munitis, aqua, foſſæ objice ſoluto, agris proximis immiſſa, vicinuſque Rheni alueus, eidem foſſæ oppidoque, è * Betauiâ, ſi forte quid ingrueret, tutandæ, ponte ſtratus. Batauodurum, vetus terræ ejus oppidum, nunc arce firmum, Rheni alueo, aut elici, incumbit. Quò pars quædam, pars & Wageningam miſsa. Tantâ curâ vigilantiâque ſummi Ducis, vt adeſſe, non præeſſe tantum, credas. cujus juſſu, * catarractâ à Mudenſibus ſolutâ, quantum eam vrbem & Trajectum inter, aquis cooper-tum. Quâ illuuie, non † Vecta modo, qui ab oppido Trajecto Mudam, inibi Auſtrinum ſinum petit, ſubito inflatus, ſed & cætera ſic invndata, vt nec fretum inter & Trajectum, neque foſſam inter oppidi atque ipſum, cuiquam aditus pateret. Harderwicum ſigna aliquot Golſteinius deduxit; quod exiguum, nec modici ad cætera momenti oppidum, Auſtrini freti marginem prætexit. Ita paſsim milite præſidia firmari. Nunc ad Duces redeundum. Igitur Erneſtus Caſimirus, vbi Arenacum ex mandato ventum, vires ſuas ac Stiromianas cum hoſtilibus conferre. Cognito, minores, nec aperto Marte decertandum, ne in belli aleam commune daret, alios Zutphaniam Dauentriamque, quoſdam & Dousburgum mittit. Commeatu inſuper prouiſo, quo in primis opus; cum frumenta, cæteraque id genus, parce aut exigue haberent. Aliquot ſeruare Rhenum juſsi; cæteris tutandæ vrbi prouide aſſumptis. Arenacum inter poſiti ac Culenburgum, Hauteriuio ac Didio commiſsi: cuique vt præ-

* De Betuwe.

* Sluys.

† De Vecht.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

ſcripti ratio ac limites conſtarent. Ita tutis vrbibus ad Iſalam, ac commeatu modice inſtructis, Bergii conatus opperiri viſum. cui, niſi expugnato oppido munito, ſpei nihil, neque metuendum nobis. Velauicum quoq; agrum, ſterilem conſtabat, nec exuſtione prædiorum ac oppidulorum, turbam ali, nulli magis numero, quam ſibi, grauem. Ad hæc non ſtipendia ac militare æs in promptu: quod in agro Turnoutano, primum aduentantibus, dein, Velauiam jam relicturis, neq; alibi, ſolutum, intimæ admiſsionis apud Ducem prodidêre. Neque ob ea Bergius ſucceſſum, ſpecie vberrimum, morari. qui exercitu, quo loco ante Cairus, flumen propere traducto, Diræ (paulo ante memoratum) caſtris alteris deſederat. Vbi & caſtellum, juxta fluuium, Dousburgum inter ac Zutphaniam, vi expugnatum, dein milite ac operibus munitum. Vltra flumen, ex aduerſo, tribus circiter cum millibus, Dieſdorfius munire locum vallo ac ſeruare juſſus. Cujus munimentum inter, caſtellumq; Bergio inſeſſum, †pons ſublicius, quo tutus faciliſque vtrinq; acceſſus eſſet, fabricari cœptus. Vbi fames rurſum, atque exinde morbi. Sed & equi ægre tolerari, aut paulatim macie corrumpi. Quam neceſsitatem ſcelere aut transfugio haud pauci auertebant; non invſitatum iis, qui, de ſe ſolliciti, de partibus ſecuri, precium, non cauſæ merita, ſequũtur: quorum duces prouidi exempla magis apud ſuos metuunt, quam in aduerſis caſtris arma. quare, ne hic quidem diu admiſsi. Quæ vtrinq; dum geruntur, Montecucullanus, Cæſaris Præfectus, peditum ad decem millia, cum tribus equitum, adduxerat. Atque is Mutinæ, antiquâ atque illuſtri domo, cæterum ab Etruſcorum Duce in cultum atque obſe-

† Pont de pilotis.

quium receptâ, oriundus, inter nobiles in aulâ Ferdinandi pueros eductus, mox ſtipendio dignatus, tandem in Germaniam ad Cæſarem translatus, atque ad bellum miſſus. Quem cum octo millibus Naſſauius Iohannes mox ſecutus; caſtris ſe Præfectum ferens. Vnde nouæ æmulationum cauſæ, &, imperio diuiſo, minor vis in vno; quanquam callide diſsimulatum, ac mox toleratum Duci. Montecucullanus, acer animi ac magna appetens, nec verbis minor, noua ac inſolita ſpirare. & Hiſpanus, prædicator ſui, eadem profeſsis, tanquam de eventu credit. Qui ad oram primo fluminis cum ſuis oberrare, neque jungi adhuc Bergio; Dousburgo, aliiſque, vt creditur, intentus. Mentem ad inſolita, ſucceſſus Cæſaris, nec noſtra ſatis cognita, agebant. Flagitare Ducem, in poſſeſſa hoſti, aut vicinam vrbem, protinus immitti. Prædâ, nec vlterius, paciſci. Accedebant ſimiles, qui moras ac conſilia peroſi, ſpem in manu ac celeritate habebant. Qui, deprimere hoſtem, ſuis addere animos vt re confectâ, Regis Cæſariſque vires cœlo adæquare, miſerari per ludibrium fortunas noſtras. Quorum vnus, tranſeuntem cum exercitu ad cæteros complexus, Sexaginta, inquit, annis diem, Cæſaris Præfecte, dedimus, » qui cæteros abſoluat. Viden' tu hinc Arenacum, inde » Harderwicum ac Elburgum? Hinc? quid plura? En fe- » rociter ab hoſte laceſsîtum Regem, en obſeſſam Ducis » Syluam, en tentatam vnam vrbem, cujus obſides tot » hoſtium habemus. Eat in annales, eo loco ſigna Regia » conſpecta, vnde in omnes via patet. Et intererat ad inflammandos animos ſuorũ, nihil vſitatum loqui. Fando inter primos circumfertur, extitiſſe Hiſpanum, qui Batauiam teneri, Romam ad amicum ſcripto nunciaret.

ret. Quâ re ad Maphæum Barberinum, nunc Pontificem Vrbanum, nominis octauum, primis artibus ac diſciplinis inclytum, perlatâ, rejeciſſe omen, vt calamitati præuium, ac peſsimi euentus. Quem plerunque gentis faſtum ac ampullas ſequi; diras atque inauſpicatas aues. laxo enim animo inflare potius quam acri. Siue ex vero, ſeu, rumoribus firmandis, magna nomina ac clara aſſumuntur. Quæſiuiſſe Montecucullanum, fide eâdem additur, Quot millibus abeſſet oppidum, quod prædam Heinii haberet; cujus fama adhuc recens tum vigebat. Parum, vt plerique judicabant, gnarum, manu ac virtute parta, eâ optime ſeruari: tum, per quot diſcrimina, quot animas, quæ mori didiciſſent, eo veniundum. In cæteris, haud nimium deceptos gloriando conſtat. Quadraginta millia & amplius, in patriæ vitalibus hærebant. Nunquam id diſcrimen ante in libertate aditum. Corruptus ac corruptor miles, rapto cuncta atque incendiis miſcere. Vagi paſsim ac diffuſi, prædam trahere, interim & ſequi: ſpes ac vota anni, quicquid manu ac ſudore partum, diſsita, vicina, fixa ac mouentia, polluere aut vaſtare: poſt præſidia viuendi, vitam multis aut pudorem, tanquam debita virtuti, extorquere. Ante cæteros Croatæ, gens humano cultu aliena, inter montes ac ſpelæa belluarum, quarum pars ſunt, ad virtutem indurati. niſi quod cruentum omne, inter miſeros crudele, inter arma imbecillum eſt. Pannoniæ inferioris latus, quod Danubio diſtinguitur & Drauo, crebris populationibus Turcorum atque excurſionibus expoſitum, feroces per ſe edit. Non lex, non mos genitis in lucem, non honeſti cura. Læti latrociniis ac prædâ ab ætate primâ agunt. Diritatem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

fames ac penuria accendunt. quæ ſtipendio à ſuis deſtituta, ſuper cætera, neceſsitate aduerſum hoſtes irritatur. Nihil famæ temere aſſentiri lubet, quæ invſitata atque inſolita facilius perſuadet. Plurimo rumore fertur, in Velauiâ matronam, nihil miſeræ relicto quo poſcenteis plura deliniret, jugulum cum vitâ obtuliſſe; corpore interim infanti, cunis incubanti, plurimis cum precibus ac fletu, interjecto. Illos, cognito quid carius miſerrimæ quam ipſa eſſet, lacerati aut diſſecti trepidanteis adhuc artus, flenti in os ingeſsiſſe: quoſdam flammis admouiſſe, aliis plantarum ima ferro ſuffodiſſe. aures aliis aut nares indecoro vulnere truncatas, alios in crucem, alios per clauos pedibus ſubſtratos, ne recondita celarent, nouâ ſpecie crudelitatis actos; argumento cunctis, quid poſt arma expectandum. Inter ea, cætera ac tempus teri: & obſeſsi acrius in dies vrgebantur. Apud noſtros, nec ab inſtituto interim ceſſatum, copiisque, quantæ nunquam hic conſpectæ, tali tempeſtate oppoſitum, quod nemo expectaret; cura diligens tuendi ſingula ac mora. tum certiſsimum vincendi genus, ex neceſsitate hoſtis non pugnare. Quæ Præfectum Cæſaris ad inſtitutum violentius vrgebant. Quippe, vt per ſemet impiger, ſuorum inſuper ferociâ ac egeſtate acrius impulſus, locis proxime vicinis imminebat. Reluctatum diu Bergium, ab hoſte traditur; haud fruſtra reputantem,
Egeſtatem, diſciplinæ ac obſequio aduorſam. Vrbi- »
bus, vt ibi fere, exiguis potitos, non recepti juris »
memores, non pacti, fore. Regis cum inuidiâ ab om- »
nibus peccari. Neque ſe immunem. Metuendum, ne »
juſſiſſe crederetur, quicquid proximus autoritate non »

vetaret. Eſt in agro Trajectino oppidum, amœnum ac venuſtum, cui, à vicino Ameſis trajectu, Amerſurto nomen. Ciues Martii, feroces, plurimis cum Geldro quondam certaminibus, Trajecto inſuper, virtute an dolo, occupatâ, ad poſteritatem clari. Id, non ingenio naturæ non humanâ arte firmum ſatis aut munitum, atq; hinc inuadenti opportunũ, in deditionem poſcit. Vrbem ſigna admodum ſex peditum, cum turmâ equitum tenebant; paucos ante dies publicâ autoritate miſſa. Inter quos Suecorum bina, quibus à colore *atræ veſtis nomen. Militem Tertullianus Dorpius regebat. Montecucullanus, aliquot tormenta (duo plurimi fuiſſe ferunt) mœnibus intendi jubet. & jam, ante aduentum hoſtis, ingens magiſtratus, haud ignaros quæ deeſſent, neque ſemel de præſidiis, munitionibus, ac commeatu queſtos, trepidatio tenebat. non conſiliis competere, non factis: & in metu cætera turbantur. Neque multo ante, è primoribus legati quidam, vt de rebus ſuis tali tempeſtate ad Principem ac Trajectinæ ditionis Ordines referrent, nihil impetratum, graui animo tuliſſe, quidam ad hæc, mentem ac reſponſa perperam interpretati, in occaſionem metus apud ſuos convertiſſe, ferebantur; quaſi pro deſertâ, ac ſi hoſtis aduentaret, expugnatâ haberetur. tantâ (verba publica & acta ſequor) vel ſecuritate in cæteris, vel neglegentiâ, vt puluerem, oblatum à vicinis, inſuper haberent, cujus partem ſerius aduectam, nemo dubitat: neque ex eo properandi cauſam, & poſt occupatam vrbem, amplius triginta octo dolia in publico reperta. De quo poſtea conventi. Additur, receptos ante tempus nuncios ab hoſte, epulis ac vino invitatos. Viſum & quibuſdam,

** Svvarte-rocken.*

buſdam, primâ quâque occaſione obſides in caſtra hoſtium mittendos. quod cum haud volentibus quibuſdam rerum militarium Præfectis eſſet, conuocatis iis, ſerio teſtatos, Monitos ſe, cum ab iis, qui- "
bus facti ratio reddunda, tum ab aliis, autoritatis pri- "
mæ, vrbem ab impreſſione hoſtili tuerentur: ſin ob- "
ſidio vrgeret, de transactione in rem propriam ac pa- "
cto cogitari poſſe. quod nec Principi ignarum, qui "
haud aliter ſentiret. Quare in medium jam conſu- "
lendum. Ideo à ſe vocatos. Vi atque armis inter pa- "
res decertari. quibus tolerandis, opem ac præſidium "
à munimentis peti; quæ hic nulla. Ad tormenta & "
obſidionis vltima deuentum. Admoneri, vt de ſe "
ſuiſque cogitarent. qui ne inſperatâ ſtrage inuoluerentur, "
à pactorum æquitate quæ offerret hoſtis, "
magis quam à militum fiduciâ, petendum. Mag- "
nos magis ſpiritus quam vtiles, momento argui, nec "
ad ſalutem aut priora, miſeris regreſſum dari. Ter- "
tio jam ad deditionem poſci. de quo inſuper à Du- "
ce hoſtium jam ſcriptum. Alimenta, cæteraque, "
quorum vſus ad arcendum hoſtem, vix ad diem ſuf- "
fectura. Militum Præfecti, ſcripto, quæ audiſſent, exhiberi poſcunt. Quo accepto, ſacramenti ac virtutis propriæ obliti, conſenſêre. Miſſæ litteræ à Ber- "
gio, verborum ambitu diffuſiores, cætera, hunc fere "
in modum, Ex quo viſum magno Regi, vt duorum "
exercituum, quâ ſui, quâ alterius, quem, duce Monte- "
cucullano, Cæſar è Germaniâ miſiſſet, regimen ac mo- "
deramen penes ſe, vt ſummum belli adminiſtrum, eſ- "
ſet, eâ lege, vt hoſti noceretur; operam dediſſe ſemper, "
vt imperio obſequium præſtaret. Quam in rem, quod "
Deus vellet, penetratâ ab vtroque exercitu Velauiâ, "

„ cum altero eorum Montecucullanum à ſe miſſum, „ cum ſpe, fore, vt vrbem, populumque, in deditionem „ Regi ſuo darent. Id ſi impetraret, viſum, lenitate „ omni ac benignitate erga deditos vtendum. Sin ex- „ trema mallent, partes ſibi nullas; ac vereri, ne ad ſum- „ mum belli jus Præfectus ageretur. A quo, Belgam ſe, „ ingenito in patriam atque incolas amore, haud pa- „ rum abhorrere. Id neſcire eos nolle, quo mature pru- „ denterque, quid in ſuam ſuorumque rem eſſet, ſe- „ cum agitarent. Interim in vrbe, ſtationum ac vigi- liarum cura neglegi, aut minus cordi ſuis. Quo libe- rius cum hoſte agi. Conſules tubicinem adornant, qui in caſtra de obſidibus mittatur; excuſante apud hoſtem pridianam moram vno, cui omnia abrupta ac præpropera placebant. Quanuis fruſtra obturbare „ miles, Satis ſibi adhuc animi: ad quiduis potius pa- „ ratos, quam inermes inſtar pecudum, veſano hoſti, „ & inordinato, tradi. Proditos ac circumventos, fidem „ publicam teſtari. non judicia, non linguas mode- rari. Mox perſuaſis, aliud parari, cuncta propere ex- pediri. Tandem & cum hoſte certis pactionibus à Conſule transactum. Pactionis leges erant,

I. „ Quemque, quâ profanum, quâ in vrbe ſacris ope- „ ratum, publici diuini ac relligionis causâ, extra no- „ xam fore.

II. „ Præter abeundi aut manendi libertatem, ſingulis „ ſemeſtre, cogitando, ſeu deliberando, dari.

III. „ Queîs abire viſum, diſtrahendo, quicquid extra „ ditionem oppidi, aut intra, cuique, poteſtatem, li- „ berumque itum reditumque ad vrbem ac vicina, ſo- „ lis aut cum ſuis, iis quoque qui hoſtiles partes cole- „ rent, concedi.

Quam

Quam ad rem, Præfecto vrbis, nomen, biduo aut tri- „ IV.
duo quam admittantur, exhibendum: quo, jus acce- „
dendi, ne reſponſum quidẽ expectantibus, permitti. „

Ne quem ante in functione publicâ geſtorum ac- „ V.
cuſari fas eſſet. „

Publico diuino, hactenus recepto, templum ac pro- „ VI.
feſsionem liberam permitti. neque id fraudi aut ca- „
lumniæ profeſsis haberetur. „

Contractus Magiſtratu vetere initi, vt ante, rati „ VII.
eſſent. „

Singulis cujuſque ordinis, quotcunque in vrbem „ VIII.
ſe aut ſua contuliſſent, eadem quæ cæteris offerri; „
ne præfectis quidem rei militaris, eorumque liberis „
conjugibuſque, exceptis. „

Ad præſidium vrbanum, mille haud amplius, nec „ IX.
niſi diſciplinæ gnaros memoreſque, admiſſum iri: „
quos ne ſumptui moleſtiæque vrbanis eſſent, pro- „
priis ſtipendiis acturos. „

Naues jam paratas, vſu ciuium ac transvehendis „ X.
vtenſilibus ceſſuras. à queîs poſſe & alias transmitti, „
provt cuique viſum. „

Rhedas, comportandis ad vicinas vrbes quibus „ XI.
opus, juſſu Comitis ac commeatu, præſto fore. „

Die eâdem claues portæ Montecucullano exhi- „ XII.
bendas; eâ lege, vt ante occaſum craſtinum Cæſarea- „
nus miles oppido reciperetur. „

Priuilegia ac conſuetudines immotæ atque invio- „ XIII.
latæ haberentur. „

Rationes publicæ ac tabulæ, queis jura conſuetudi- „ XIV.
neſq;, aut vectigalia ac reditus, continerentur, eoſdem „
penes eſſent. Repræſentatas tamen exemplaribus, tra- „
dendas iis, quos Majeſtas Regia præfectos vellet. „

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

XV. „ Quorum ſingula Præfecto Regio, Henrico Bergio,
„ probari vt conſtaret, Montecucullano curæ fore.

XVI. „ Agreſtibus ditionis Amerſurticæ, aut qui vici-
„ ni, quique vicos habitarent, fide publicâ proſpe-
„ ctum iri; opes, cæteraque, vt quæque bonâ fide poſ-
„ ſiderent, extra noxam fore. eâ lege, vt ſe ſuaque Regi
„ ad obſequium permitterent.

Conſul ſubito cum hoſte pactus, quanquam luce
proximâ admitti hoſtem conueniſſet, poſtulare, vr-
„ gere ſuos, non differri. Montecucullano ita viſum.
„ Nihil preces, nihil rationes valuiſſe. Morem nunc
„ gerendum. Quæ pleriſque, exceptis iis quibus ſua jam
probarat, noua ac inſolita videri. Quidam & indig-
num facinus teſtari, ac cum omnium diſcrimine con-
junctum, agmen turbidum, nec diſciplinæ gnarum,
veſperâ aut nocte admitti. Ita denuo ad hoſtem cum
mandatis miſſus, Nunquam id Senatui probatum iri.
Abeuntem, præcepiſſe ad portas, ferunt, Præſto & ad
manum claues eſſent. Vix egreſſo, Caremannum
(nomen ciui id ac Senatori) delegatum, qui pene ea-
„ dem non paulo acrius perferret. Denique, ageret quæ
„ vellet, dummodo ne ageret, quæ cuncti nollent. nec
„ paſſuros, eâ nocte militem admitti. Interim, ſeu im-
prudentiâ, ſeu metu, nihil impetrato, miles nullâ
cæde aut vulnere (& plerunque veſperæ proceſſe-
rat) ſecutus Caremannum, portâ, prius quam con-
venerat, receptus eſt. Conſul, partem viæ Montecu-
cullanum comitatus, die altero in vrbem venit;
ea plebis indignatione ac concurſu, vt vix latebrâ
diſcrimen declinaret. Neque ignarus ſum, initia
haud paulo aliter referri: quæ paucisſimis evoluam.
Pridie Calendas Auguſtales, Montecucullanum
cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

cum ingenti manu (quam rumores auxerant & pavor) propinquaſſe vrbi. Luce dein primâ, equitem cum noſtro vnâ velitatione & alterâ expertum: mox exercitum pedeſtrem ſubſecutum. inde vrbem vndique propemodum obſeſſam. Sub meridiem, tubicinem, vt belli mos habet, de deditione miſſum, re tum irritâ ad ſuos rediiſſe. Ad meridiem, Cæſarei exercitus Præfectum, poſitis tormentis, pilas grandiores aliquot, nec ponderis ejuſdem, emiſiſſe in vrbem: cum quo paria feciſſe noſtros. Die eodem, miſſum alterum, qui pacto recipi inſtanteis poſtularet; monito, vt, ſi actutum ſeque ac ſua Regi dederent, ex æquo ac benigne actum iri. ni parerent, vim ac vltima adeſſe. Quod & literis à Bergio exhibitis teſtatum: neque amplius quam ſpatium cogendis magiſtratibus petitum. Nocte proximâ, virtute, quantâ potuit, à ciuibus certatum; magnâ pulueris jacturâ, cujus egeſtate inprimis premebantur. Luce proximâ, cum idem poſceretur, magiſtratus ſingulos ac ſedecimviros in curiam vocatos. quibus coram, de diſcrimine actum. Vrbem eâ parte jam teneri, quâ potiſſumum ex vſu" hoſtis ſuorumque damno eſſet: maxime ad Copel-" lanam; vbi muris per ruinam aut incuriam dejectis," tantâ hoſtium frequentiâ, ſuorum imbecillitate, ex-" trema quæque metuenda. Aduocatum & Præfe-" ctum, quem conſultum, quoad tolerari poſſe obſidionem crederet, Vix horas duodenas, reſpondiſſe. ad-„ dito, Ne eam quidem noctem, tanto in diſcrimine,„ præſtari à ſe poſſe, nec autore ſe, ſecuram oppido„ ac tutam fore. Sic transactionem pluribus probatam,„ neq; multo poſt tubicinem cum literis ad Montecucullanum, magno ciuium quorundam motu, cæteris

inter-

intercedentibus, dimiſſum. Ita obſides admiſſos. Mox & Dammium cum Cæſio, equeſtris turmæ ibi tum ductore, ad transactionem delegatos. Quæ in commentarios à ciuibus relata, nec probarim cuiquam nec arguerim; diuerſa ante ac publica ſecutus. & nonnulla congruunt, quæ ſeriem illuſtrant. Cæterum, cum animis diſtractæ veritatis labos, primam rerum conditoribus difficultatem ex ſe parit. Die quinto, miles Ordinum, vt juſſus erat, vrbe exceſsit. Cæteri, incertis (quaſi aliquid, ſublato jure æqualitatis, certum inter ſuos eſſet) dominum ac hoſtem prætulêre. Neque Montecucullanus, modicus imperii aut pacti memor (quæ inſolita nunc libertati) inter deditos agebat. Primum impotentis animi indicium, exactio ac cura tributorum fuit. Quorum rationes, majeſtatis titulo præfracte, vt à victis, poſtulatæ: ſimul imperatum, vt ad panum duodena millia, diebus ſingulis exhiberentur; cum vix tria operæ præſtarent. Quæ ab ineunte Auguſto, fere ad ſextum evenêre; quo, renunciato magiſtratu, denuo, vt ante, egreſſus vrbe Montecucullanus, atque in caſtra reuocatus, Hemum, arcem prope poſitam, de facili, ac velut cum inermibus commiſſus, expugnauit. nam exemplis vincebamur. Interim vbique agros incurſare miles, poſſeſſorum cædi quiſque aut trahi, forma magis latrocinii quam belli eſſe. Alii, corruptâ ſegete, in vincula deduci, quidam per ludibrium aut vltimam ſæuitiem, quatriduanâ fame ac inediâ torqueri. Rura, villæ, vici, ignibus terreri, aut abſumi. Inter quos tùm Soeſta, Venedalia, atque Hilterſûma; quanquam aſſeclis Romani cultus habitata. Nec in ciuitate minus interim indigna geri. Miles in hoſpitia cum graui vrbanorum onere diuiſus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

diuiſus, pleriſq; quibus copiæ familiares ex ſe tenues aut nullæ, quinque aut ſex indici. Qui priuatim graves, præter alimenta, vinum ac cupedias, ſubinde & æs, egenis extorquere: medio diei, luxu ac ſaginâ graues, mero turbidi, eoque magis per injuriam hoſpitibus infeſti. Inter quæ, rogatus de mandato ac autoritate quâ hæc contra pactum gererentur, Propræfectus, manu capulo admotâ, Eſſe in foro ſibi, eſſe ad portas, dixit. Ferox animi ac dicti, jus in armis innuebat; quod non niſi armis propulſetur. Nuſquam fides tuta aut præſidium in loco. Mœnibus recepti, opprimi aut infeſtari: vrbe excedentibus, pecuniarum vis ac ſui precium, neglecto fœdere ac conditionibus, exactum. ita vix dimitti. Relliqui exuere arma atque in curiam conferre juſsi. Montecucullanus interim ac Bergius, ad quem, vt ſummum rei Ducem ac Belgarum rebus æquum, in calamitate provocatum, pacti ac promiſsionum rei, aliis prævorti: nec flagitiis aut fraudi interceſſum. Et facilius abſentiæ id datum; quæ, autoritate illæsâ apud ſuos, hoſtis quoque invidiam declinat. Cæterum, haud promptum dictu, quanto, tanquam in contagione, metu, ea res finitimos afflarit. Vrbe proximâ Trajecti, feſtinare omnis, trepidare, ſua quiſque clam vel palam abdere, aut ad Batauorum proximos deferre. Erant, qui recenti adhuc conſternatione, fugam aut diſceſſum maturarent, qui pecunias, in publico aut aliis nominibus diſpoſitas, relegerent aut raptim flagitarent, qui pauorem, cujus modum non haberent, cæteris exemplo aut ſermone aſpirarent. quorum menteis, trepidatio paucorum, vt in plebe, eodem inclinabat. Vulgus verbis ac

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

ſententiis fœcundum, re ignauum, paſsim fremere ac
„ ſpirare, Hoſtem, vix conſpectum, ſponte ad pacti jus
„ admiſſum. Viris quondam oppida, nunc fœminis,
„ committi. Pulchros conſules, qui ſua hoſti, vix poſ-
„ centi, dederent, aut largirentur. Idne Patribus place-
„ re? Vrbes, ne obſeſſas quidem, minis hoſtium aut pre-
„ cibus patere: verbis expugnari, quæ tueri armis ac
„ conſtantiâ fas eſſet. Ita peccaretur, ne in publicum
„ aut poſteros infamia tranſiret. eâ tempeſtate inpri-
„ mis, quâ exemplis quiſque potius quam legibus, aut
„ more honeſto, agat. Magiſtratus nouos, Regis nomi-
„ ne creatos. Faſces à Præfecto Cæſaris, in ipſo liberta-
„ tis gremio collatos. neque id majus, quam admiſſos;
„ & à noſtris. Sacramenta, non jam fide, vt olim, ſed,
„ felicitate hoſtium diſtingui. Quid, aut quibus nunc
„ credendum? Viam ad fortunas omnium ac oppida,
„ Velauiam, nuperrime expugnatam. cujus neglegen-
„ tiâ ſecordiâque adhuc quæri. Eo recidiſſe cuncta,
„ Eſſe, qui inſontes, neque vllius criminis comperti,
„ prædæ exponantur: eſſe qui exponant. Agi quem-
„ que agreſtium ac diuexari: ſua cuique cara ſpoliari
„ aut euerti, ſua intuentibus abduci. Nihil tutum am-
„ plius in agris. Etiamne mœnibus ac foſsis circumdu-
„ cta trahi? Iam vicinis, jam Trajecto eadem parari, ne-
„ que bidui rem fore. nihil clauſum, nihil inuium vi-
„ ctori; ſemel intellecto, hoſtem armis formidatum, ſuo
„ metu expugnari poſſe. Queîs tum vulgus omne con-
citari. Super cæteros, qui Regis partibus addicti, nihil
modicum jam loqui aut ſpirare, hoſtium ſucceſſu fe-
rocire, cæteris minari; quidlibet offerre in pignus,
ni hic annus finem bello daret. homines, qui ſeruituti
ſuæ contra libertatem noſtram fauent. Ita vrbs anti-
qua,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

qua, ac virtutis olim celebratæ, imprudentiá quorundam aut formidine, calamitati propriæ expoſita, ac mox direpta, prope obliterata ſeruitutis mala, prima omnium perſenſit, cæteris in mentem reuocauit. Morganius, vir belli vſu inter paucos, atque è Daniâ tum redux, eo miſſus, ac Trajecto vix egreſſus, pactum ac transactum audit. alii, perlatâ re ad proceres, retentum, notant. Quæ tum conſternatio ac pauor, Patrum animos permouit, vt pro publicâ ſalute acrius inuigilarent. Cura ac collegia Prouinciarum (magno prouidentiæ fiduciæque in aduerſis documento) Hagâ Comitis Trajectum propere tranſlata; vt nec procul, & ad ſingula intentus quiſque eſſet. quidam Arenaci ſubſtitêre. Neque parum ad ſecuritatem priuatorum intereſſe videbatur, vim imperii ac ſummam, ibi extra metum conſpicari, vbi quiſque ſibi formidabat. nam de Amerſurto cætera in loco. Interim ſucceſſus in Velauiâ, vt varius, ac ſuis quoq; incertus, ita varie noſtrorum animos mouere. Inprimis peſsime ominari, quibus parum cognita quæ hoſti gererentur, aut quo loco rei ſumma. de quo plura Principi ex interceptis literis perſpecta. Inter quas Martini Didiâci, gente Hiſpani, è Velauiâ, ad Regis actuarium conſcriptæ, nunciantis, Ab vicinis, neutris partibus addictis, nihil » commeatuum in præſens expectandum. qui vel mo- » dicum pro Rege auderent, prædæ ac rapinis hoſtium » exponi: ferrum protinus ac flammas circumferri. » Magnam apparatus bellici penuriam in caſtris. Pul- » verem nitratum quidem, vix obſidio dierum decem » ſuffecturum, jam è Duce intellectum. Quod ni neceſ- » ſaria ſuppeterent, extrema metuendum. Si quid judi- » caret, quantum apparatus vndique conquiri poſſet, »

» è veſtigio Velauiam mittendum. vbi prompto ſem-
» per & ad manum, maximis difficultatibus occurri
» poſſe. Exercitum, cum iis quibus Barbanſonius præ-
» eſſet, peditum ad millia viginti, equitum ad quattuor,
» Dieſdorſio mandandũ. Parte vt alterâ præcipua caſtel-
» la aditumque ad Iſalam ſeruaret, alteram, ad oppidum
» obſeſſum, Vlimæ partim, partim Hintumæ locaret:
» vbi die pariter noctuq; fatigandum aut ad arma con-
» citandum hoſtem. Quo ad cætera intento, ſuperari
» Moſam, inſulamque Bommelanam penetrari poſſe.
» eam vnicam obſidii ſoluendi viam dari, neque ho-
» ſtem cuncta defenſurum. Amerſurtum atque Hatte-
» mum defendendi, vix ſpem dari. Aditum ad ea quæ
» jam peperiſſent, vindicandum, neque minus oppido
» ſubueniundum. Quod ni Princeps Bergium vrgeret,
» ni aſsidue inſtaret, liberandi ſpem ereptam. Ita om-
nium judiciis expoſitus Dux ipſe, ac, ſi ſucceſſus, cui
nemo moderatur, alibi abeſſet, reus ſui, in Hiſpaniâ
traduci. vnus denique, qui omnibus præeſſet, & qui
vni, externorum quiſque. Dicta quoque vrbanius,
aut inter paucos, notabantur: quæ officii aut fidei præ-
textu erga Regem, clam perſcripta nec defenſa, haud
grauate admittebantur. Neque multo poſt exceptæ
& * Philippi Deperrêſi, ortu itidem Hiſpani, quibus,
» inter cætera nonnulla, teſtabatur, Obſidentes à ſe
» diſtrahi vtcunque ac diduci, neque quicquam tamen
» apud vrbem obtineri; nullo, ſi dedatur, hoſtis dam-
» no, non Batauiæ totius expugnatione, eluendum. Fa-
» mam gentis & exiſtimationem agi. quam tot coram
» populis ac vniuerſo orbe, ad rei exitum intento, pu-
» blice traduci. Apud nos, vt cœpta pertexamus, quan-
tus paſsim metus, tanta procerum vbique cura, ne
quid

*Don Philips de Perres.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

quid publico diſcederet. Diſpoſiti & juſſu Senatorum, queîs res militaris credita, hinc inde veredarii, qui ſtatis horis, Hagâ Arenacum, Arenaco itidem Hagâque, caſtra peterent, vt propere de ſingulis conſtaret. Ab iiſdem, de ſubſidio aduerſus ingruentem patriæ calamitatem, apud Fœderatos Patres actum.
Summa erat, Haud videri multis, nec ſermone me- "
ditato, quo res loco eſſet, apud eos exponendum. E "
foribus prope ac feneſtris Curiæ, prouinciarum me- "
tum, trepidationem ſingulorum, proſpectari poſſe. "
Quoquo ſe conuerterent, turbatæ patriæ imaginem "
ante oculos atque ora habituros. Sæpius jam ſibi aliiſ- "
que, in eo ordine, de curâ Reipublicæ auxiliiſque ad- "
verſus hoſtem, verba facta. ſed nec ipſos, vel reme- "
diis pro tempore, vel ſubitâ ac promptâ ope laboranti, "
defuiſſe; per quos, toties petîta, inter ſociorum cla- "
des, & agentis animam Germaniæ ruinas, contra Re- "
gem potentiſsimum, cum cæterorum omnium ſtu- "
pore, invicta hactenus conſiſtat. Neque obſidiones "
vrbium, aut liberationes, vt tum, agi; quibus, relliquis "
intactis, pauci opprimantur. Principe, cum vniuerſâ "
libertatis manu, alibi diſtracto, vim Hiſpaniæ ac Cæ- "
ſaris, trajecto Iſalâ, in patriæ præcordiis ac aditu graſ- "
ſari. Diripi provincias ac ſeparari. quarum vnâ qua "
libet diuulsâ, corpus lædi, ac Rempublicam diuelli. "
Nullum moræ, nullum ſolitis deliberationibus rellin- "
qui locum. Poſtulare tempus ac diſcrimen, vt tutandis "
rebus quiſque adeſſet. De obſeſsâ vrbe, ſuper cun- "
cta cogitandum; quæ impenſis tantis, tanto ſanguine "
ſtetiſſet. Fruſtra, ſi ſperato oppido, deſertis caſtris, ab- "
ſcedendum. Si, cum manu prope, tantus Reipublicæ "
acceſſus ac momentum teneretur, cum ſpe omni "

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

» ſumptibusque, ac ipſo numinis fauore, toties oblato,
» donum hoſti fieret, aut turpi fugâ dederetur: ſi tot
» noctes Principi pro patriâ incaſſum vigilatas, tot
» incommoda, tot curas, fruſtra hactenus ſuſceptas,
» partibus aduerſis largirentur. Quod ne eueniret,
» cæteriſque ſemel jam conſuleretur, nouo milite con-
» ſcripto atque impenſis opus. quas, ſi cuique pa-
» tria, ſi liberi, ſi conjuges, ſi ſua cordi, vndecunque
» eruendas. Euocari militem è caſtris amplius haud
» poſſe, ſatis ſcire, quibus tot receſſus, tot acceſſus,
» tot externa opera ad vrbem, non ignota eſſent; ſo-
» lis copiis ac viribus tenenda. Equitem ac peditem,
» cum Comite Stiromio, dein Erneſto Caſimiro, Are-
» nacum paulo ante miſſum, commeatu prohibendo,
» hoſti diſtrahendo, finibus tuendis, rellinquendum.
» Oppida, vicina hoſti, ſolis ciuibus inſeſſa, ad inuaſio-
» nes ſubitas, non vim diuturnam, aut obſidionem,
» communita, quibus nullum eſſe in caſtris locum,
» vbi expeditâ atque exercitatâ juuentute opus; à quâ
» ſolâ, arma & aſpectum hoſtis tolerari. Nec docere
» ſe quæ ſcirent: minus, neglegentiam ſecordiamque
» eorum accuſare, quorum prouidentiâ res omnis
» ſtaret. Ne ignotum quidem ſibi, quæ prudenter ha-
» ctenus prouiſa. Tria millia à Theodoro Falckeburgo,
» caſtris Swecicis præfecto, jam conſcripta, præter hæc,
» Gallorum, Britannorum, ac Scotorum, qui è Daniâ
» haud pridem appuliſſent, ſigna tria, Germanorum
» duo millia, quæ à Ferentio aut Menio conſcribi pla-
» cuiſſet, duo item Britannorum, quæ ad tempus ſub
» Morganio Rex aleret, ad manum & parata. Ac-
» ceſsiſſe, in Indiam ad Occidentem deſtinatos, acceſ-
» ſiſſe ciues, quos vicinæ vrbes ſubmiſiſſent. Quibus
ſpem

ſpem præberi, vim vtcunque hoſtium, obſidione ſal- »
vâ, tolerari aut infringi poſſe, ſi æs militare egentibus »
præſtetur. Cæterum, in tantâ patriæ calamitate, non »
vicino tantum hoſte, ſed prope inquilino, deſtitutis, »
omni ſociorum ope, ſibi propriiſque viribus invigi- »
landum. Cujus enim potius quam ſuâ intereſſe, vt »
conſcriptus, mox & conſcribendus miles, magnâ »
ſui parte peregrinus, in officio contineatur, nec, pro- »
pinquo hoſte, quicquam moueat, aut ſacramentum »
aſpernetur? Nam imperia ſuperiorum, militis obſe- »
quio ac fide contineri. qui, ſi egeſtate, quantum ex- »
tra leges liceat, erudiatur, ſero pœnis emendari. Qua »
licentiâ vt arceatur, ab ærario, vt modice inſtructo, »
ita prompto ac parato, expectandum: vbi neque »
moræ neque damni pœnitentiæ ſit locus. Cogitan- »
dum præter ea, nec Britannis copiis ex alieno diu ſti- »
pendia hic proceſſura, &, quod alibi promiſſum, in- »
terim à nobis exhibendum. Adfuturum, ſi quid »
judicarent, ſingulis remedium, ſi ſexies centenûm »
aureorum millia autoritate publicâ repræſententur. »
Eâ ope patriam ſervari, ciuibus ad quaſlibet collatio- »
nes animum augeri: ſuper cætera, inuitum, ac mi- »
nantem ſumma quæque hoſtem, Reipublicæ viſce- »
ribus evelli: cui hac occaſione perſuadendum, nihil »
ſubitas impreſſiones, nihil minas, impetum, fero- »
ciam, aduerſus noſtra poſſe. quæ, vt ſpecie formi- »
doloſa, ita milite, conſilio, præſentiâ, retundi potuiſſe. »
Id precari, id vouere. Tum, vt ſummum numen, »
ipſos gloriæ ac fortunarum plenos, ſub autoritate »
eorum, libertatem ac jus noſtrum, inter tantos ho- »
ſtium inſultus, tueatur ac conſeruet. Princeps, feſti-
nandum, nec jam aſſidendum oppido, ſed oppugnan-
dum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

dum vi majore ratus, die, nocte, opera ac militem vrgere: vnum ni obſtaret, toto cum exercitu, Velauiam ſecure perſultantibus, victoriæ ac ſpei modum poſiturus. Obteſtari, admonere, Ne quid vacuum labore quiſquam ſibi daret. Nihil jam pro hoſte, & adverſum nobis, præter moram; quâ foueri atque in patriâ graſſari. Ni deeſſent, breui potituros vrbe, ex quâ omnis ſpes ac metus. Vno alteroq; munimento, quod propemodum tenerent, patriæ ſalutem, fugam hoſtium differri. Quæ alacritate ſummâ omnium excepta; ſingulis in partem muneris præſtantibus quæ grata imperanti. Et operibus fidebat hoſtis, quorum alibi nonnulla noſtros adhuc occupabant. Viſum ergo locis pluribus inſtandum. vt diſtractis viribus præſidii, plus ſpei nobis in celeritate, minus illis ex dilatione ac morâ eſſet. Igitur à Pinſianis partim, partim & Orthanis caſtris, hinc cognominem ad portam, illinc ad oppoſitam Iohanni Diuo conſecratam, ſenſim propinquari. Simul ab Erneſtianis, per paludes, longo opere ac moleſto, viam duci placuit, quæ Hintumanam inter atq; Orthanam, recta murum verſus ferret. Via faſcibus ramorum ſtrata, terrâ deſuper injectâ, multo ac difficili labore, nec minoribus impenſis; quod & carris longe advehenda humus, nec plerunque cætera ad manum. Latitudo quattuor viginti pedum. Addita hinc illinc gemina *lorica, terrâ ac ramalibus aduerſum pilas tormentales, inter quas creſcebat opus, valide ſuffulta. Cui muniendæ, ſtationes certo intervallo poſitæ, quæ latera ab hoſte vindicarent; cum tormentis, quæ præſidio intentis operi, ac, noſtra impetentibus, obuerſa. Principis à caſtris tardius proceſſum. quod anguſtior hic ſemita, nec æqua feſtinan-

* Parapets.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

feſtinantibus,conatum inhiberet. Cui itidem occurri
placuit. *Lorica, quam tranſverſam dicunt, prope *Trauerſe.
Antonianum erat, hoſtibus deſerta, occupata no-
ſtris. cui tria quattuorue impoſita tormenta, tutum
iter per effoſſam erutamque humum,ſenſim,vt nunc
vſitatum, propinquantibus,ad foſſam vſque alterius
loricæ, quam adhuc tenebat hoſtis, paſsibus ducentis
fere ab iſtâ ſitam,præbuêre.Quo admiſsis,pons è ſcir-
po inter hoſtica tormenta factus. cætera cuniculariis
permiſſa. Qui dum ſua parant loricæque ſubeunt,
Douchantus, legionis Propræfectus, juſſu Principis,
*tribunos duos, cum triginta expeditis, occupando *Officiers.
loco quem †ruina daret, propere ſubmittit. Hoſtis †Breſche.
obſtitit, pulſosque, infra ſpatium ruinæ tum ſubſi-
ſtere coegit. Pudor hinc atque indignatio cedenti-
bus oborta; certis, nocte proximâ, ni fugâ præveni-
rent, vi ac cædibus graſſari. Quod profeſſum noſtris,
aut perſpectum illis, pertinaces loco mouit. Vno eo-
demque tormentorum vſu ac ſubſidio, ad loricarum
è transverſis vltimam, deuentum. Vbi pilis iterum
cujuſque generis infeſtus hoſtis, via inſuper anguſta,
tum vtrinque ſimul atque à fronte,apertum,ni obdu-
ceretur,latus, ſed & eruenda ſenſim humus,cæteraq;,
properantibus aduerſa erant. quæ haud minus no-
ſtros æmulatione accendebant. Inter quas difficulta-
tes,& invicto animo,ad foſſam †viæ copertæ lorica- †Contre-ſcharp.
rum vltimæ peruentum. Poſt quam altera,loricæ pro-
pria,reſtabat. quarum vtraque,hæc inprimis,maximâ
noſtrorum clade, ponte junceo trajecta. Ita perrum-
pendo*vallo protinus cunicularii ſubmiſsi.Nec ruinę *Rempar.
defuit ſucceſſus. quam, †ſatellite vno,cum militibus †Sergeant.
triginta, propere aduocato, occupare Princeps,nullo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

ſtrepitu, mandarat. (& intererat, moueri loco potius quam irritari hoſtem.) cum extemplo juuentutis Gallicæ, quæ ſponte ac recens aderat, procella ingens, laudis ſtudio ac patrio ardore, tanquam nimbo vndique effuſa, propere in hoſtem ruit. Vbi acris velitatio, nec minor cædes; manibus conſertis, & gliſcente per hæc irâ. Iſtis, vt injuſsis ita incompoſitis, pleriſque & præliorum haud ſat gnaris; illis, ordine, nec minus numero, inſtructis validiſque. Militi ad hæc vrbano, vinci haud ignaro, nec, ſi noſter aut Britannus impugnaret, aliquando dedignanti, odium inuiſæ gentis animos addebat. cui auertendæ, arma noua adhiberi cœpta. Frumentarium flagellum, ferro acutiſsimo præfixum, manu quiſque aptarat. quod, nunc punctim, interim & cæſim, ita flectebatur, vt egreſsi pugnæ leges, hoſtem triturarent: quaſi ignominia pars belli, aut ſalutis ſuæ cura, eſſet. Accedebat, quod nobilitas, quæ ſponte acceſſerat, inermis, præter gladios ac cætera quæ manu temperantur, toto corpore patebat. Illi, quanto graues ac muniti ferro, tanto violentius cum plagâ in aduerſos deſcendebant. queîs, vt quemq; impetus aut gloriæ cupido ſtimulauerat, in hoſtẽ concitatis, nihil extra animos & ipſos. Super hæc vindictæ ſtudio accenſæ mentes, ſui curam ac virtutis moderamen prævertebant. Recedentibus, vt fit, alacrius inſiſtere hoſtis. ipſi, gradu ſemel moti, quà dabatur exitus, prævertere aut præverti, trahere hos, ab illis trahi: ſpei denique & victoriæ immemores ac indecori, inter fugientes quiſque, ac retardantes aut impedientes cæterorum fugam, vix eluctabantur. Pulſo Gallo, occupata ac firmata iterum ruina, noſtris clauſum iter, & occaſio

occaſio erepta. Ne receptus quidem integer, ſoluto magnâ vi cedentium aut interrupto ponte. donec tandem cæde maxumâ noſtrorum, ſolidata foſſa, vt acceſſum daret. Luce primâ, denuo tentata via, & abactus hoſtis, quem * dimidiata luna, ad Vuchtanam proxima, recepit. Biduo quam opere vltimo ejectus hoſtis, Princeps, Pinſianos inter proprioſque * acceſſus, erigi † ſuggeſtum imperarat. cui quinque impoſita tormenta, hoſti è * dimidiatâ Lunâ venienti, eâ parte obuerſa. feſtinatione ſubitâ, nec irritâ, eâdem nocte conſummatum. Quæ albenti adhuc luce propere diſploſa, ictu vno aliquot repente confecerunt: tantâ ſtrage, mox & damno, vt de eo literas ad Iſabellam Principem, Præfectus vrbis daret. & mox opus expugnatum. Quæ vtrinque inter ſe gerentibus, haud paruo tot victoriæ ſtetêre, nec ſtupenda minus militum vbique tali tempore quam præfectorum virtus. Pontem junceum, ex iis quos recenſui, vt ſterneret, conductus miles, octo fati comites aſſumpſit. Vſum pontis, jam impoſiti, jam ſtrati, tela hoſtium, in quibus parum vſitata, ſaxa lapideſque, inſtar denſæ grandinis diffuſi, diu præpediebant. Cæteris deliberantibus, repertus è manipulis Britannus, qui intrepidâ virtute, inter dubitanteis adhuc ſuos & vim hoſtis, militari gradu ac feroci vultu, ponte tranſito, oppoſitos, atque ad defenſionem conglobatos, nihil ſaxa nihil glandes hoſtium moratus, quæ ab omni parte accidebant, ignëis miſsilibus dimouit. Secuturus ipſe per cedenteis, ni fortuna, ſæpe ingentibus iniqua, cæterique defuiſſent. Ipſe, altero effoſſus oculo, ac toto corpore cruentus, in eundem ſtatum animi compoſitus, ad ſocios reuertit;

* *Demi-lune.*

* *Approches.*

† *Baterie.*

* *Demi-lune.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

Mutiis Horatiiſque haud abſimilis, quos veterum facundia extollit. quorum res æquamus potius quam credimus. quæ eâ tempeſtate paſsim obuia, ac vix notata. Audire è Præfecto machinarum memini, ejuſdem gentis alium, propoſitâ mercede, vt ramorum faſces, vltra foſſam, quæ tranſiri vado poterat, perferret, dum præproperus exſequitur mandata, glande circa femur ictum, nullo ex dolore ſenſu, aut
" diſsimulato, Ecquid vellet amplius, quæſiſſe. Viſo ac-
" cedentis ſanguine, reſponſum à Prefecto, Satisfactum.
" &, vt vulnus obligaret. Cum immoriturum ſe mandatis reſponderet, eadem tentantem, ſupra coſtas, alterâ percuſſum, operam, vt prius, obtuliſſe. Quam dum obit, verſo ad intuitum miraculi Præfecto, gutture hauſto, in conſpectu imperantis, ſanguinem cum vitâ ejeciſſe. Cujus precium nec intellexit, nec exegit; ſola famæ magnitudine æſtimandum. quæ ambitioni nunc, vt pleraque omnia, acceſsit. Indignari lubet, ac fateri; difficulter, ex virtute, obſcuris claritatem circumfundi; quæ fortunâ aut opinione tales, non tam excipit quam antecedit. Eodem ordine ac animo ad opus ſpecie dimidiatæ lunæ, de quo ante, properatum. Lorica, quam poſtremo occupatam memorauimus, ſuggeſto cum tormentis octo propere inſtructa. Vulgo Magnum turba militaris nuncupabat. Quibus fretis, per egeſtam humum, more ſolito ad foſſam * viæ coopertæ, pariterque ad oppidi, proceſſum; pedes ad ducentos latam, octo circiter profundam: cujus partem Dommela allapſus auget. Dies ſubſecuti † vineæ ſtruendæ dati, quam per ſingulas * columnas (ita vocant) cum diſcrimine ac morâ, vltra foſſam, de quâ proxime, ad latus propugnaculi

* *Contreſcharp.*
† *Galerie.*
* *Binten.*


culi à dextrâ ſiti, promouere viſum. Latitudo, pedum decem; altitudo ſeptem. quæ vtrinque deſuper adverſum flammas ac miſsilia, queîs graſſabatur hoſtis, tabularum texto, ſupra, & aggeſtâ humo, valide munita. Cujus pars ſiniſtra, cum * dimidiatæ partim lu- ** Demi-lune.*
næ, partim vrbis propugnaculo, quod ex aduerſo, nudum exhiberet latus; inter obuia tormenta, quæ hic plura, ac vim hoſtium, admotæ manus. Opus inſuper & aliud acceſsit; à ſuggeſtu Magno, ad diuerſum propugnaculi ejuſdem † latus, per paludes audaciſsimo *† Flanc du baſtion.*
conatu ac moleſtiâ ducendum: cui promouendo, ipſe Dommela, quâ propugnaculum prælapſus alluebat, ponte alio ſternendus videbatur. Parte alterâ, per paludoſa, via faſcibus ramorum, foſſam verſus oppidi inſtrata, iiſdemque faſcibus, deficiente humo, veli inſtar cincta, quo pilarum jactus hoſtiumque vis defendebatur. tum vt operi, atque adminiſtris, ita cautum eſſet. Faſcibus, queîs ſternebatur, ſuperadditum † ſuggeſtum cum tormentis tribus. & ad dex- *† Baterie.*
tram, operi tuendo, * militaris ſtatio locata: vbi † vi- ** Corps de garde.*
nea, priori haud diſsimilis, exſtructa; alterum ad latus *† Galerie.*
propugnaculi immanes inter tormentorum tempeſtates promouenda. Queîs contrita ſæpe, ac toties refecta, crebrum ac diuturnum feſtinationi operarum tædium moramq; objecit. Neque minus & dimidiatæ lunæ * via cooperta. moratura inſuper, ni vir præ- ** Contreſcharp.*
ſentis animi Herbertus, qui tum præerat, haud multo milite hoſtem excuſsiſſet. Ita foſſæ ſolidandæ pariter acceſſum. Et cunicularii ad manum. qui, mandato Aſtelæi, ſubitâ ruinâ, hoſtem ſimul atque inſtantem lucem prævertêre. Cui occupandæ, miſſus cum ſuorum aliquot * ſatelles, vi hoſtili pulſus retroceſsit. ** Sergeant.*

Quod Aſtelæus nomine Britanno ac exiſtimatione indignum ratus, nec repulſæ tolerans, centuriones duos pertinacibus immittit. Qui aut mori, aut exigere hoſtem certi, locũ, eo penitus potiti, ſtatione firmant. Quo commotus Imperator, verbis exornare quæ geſ-
„ ſiſſent, Gratias Præfectis militique habere: ampliores
„ ordines ac dignitates ex occaſione polliceri. Memo-
„ res virtutis ſuæ quiſq; eſſent. ne quis fruſtra hactenus fuiſſet, curæ ſibi fore. Interim promotæ maximis pro-

*Galeries. greſsibus vtrinque * vineæ. in quo nec militi ad omnia promptiſsimo præfecti, nec præfectis milites deeſſe. Cuncta ex ſententiâ ac voto Imperantis; ni fortuna, paulum circumacta, medium felicitatis curſum, vt plerunque, interjunxiſſet; propere ſublato Eduardo Verio, mox Cortomêro. quorum iſte brachio ac latere, alter capite trajecto, vix à Principis colloquio dimiſſus, debita naturæ perſoluêre. Erneſti interim in caſtris, tum abſentis, res Wilelmus dirigebat. vbi foſſam vſq; externi operis, quod Hintumanæ imminebat, jam deventum: cui ſuperandæ, vineâ, vt ante, opus. Quę molimine arduo, ac ſenſim inter hoſtica, vt cæteræ, tormenta, vndiq; diſpoſita, vix tandem conſummata. Mox cuniculus admotus. quo pars operis disjecta, dein occupata. In iiſdem caſtris, altera, labore haud diſsimili, ad deſtinatum jam perducta, cui Magnæ, ſiue Porcianæ, nomen ab autore: deſuper aperta,

*Schans-korven. corbibus, * quos loricales dicunt, intus terrâ ſolidâ ſupraque obtectis, ſpecie transverſim inter ſe oppoſitis ſic ſtructa, vt per ſingulos, contectus miles ac munitus, tanquam flexus ac ambages, penetraret. Singulis loricis addita ſcabella, attollendo militi, aut dirigendo ictu. Opus nouum, nec ætate noſtrâ aut ſuperiori vſurpatum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

patum. quod per mediam paludem, fluuiumq; ipſum, inter ictus tormentarios promotum, quanquam citra foſſam ſtetit, argumento tamen fuit, quibus tum impenſis artibusque decertatum ſit, quantumque, vel inuito hoſte, obtineri poſsit. Fere eâdem tempeſtate hoſtis, vt plerunq; vires morientium poſtremo magis intenduntur, quadringentos, aliquot ordinibus partitos, noctu clam emittit. quibus deſtinatum, * aggere ambitus, qui inter Brederodiana & Erneſti Caſimiri caſtra, rupto aut perfracto, vndis viam dare. Quorum aliquot, † caſtrorum ſepem, quæ hac parte oppidum vrgebat, tanquam noſtri, furto callido prægreſsi, vigilum Præfecto, munus obeunti, cum comitibus qui vnà, manum injecêre. Qui, vt inter ſuos, nihil primo ſuſpicatus, ſubitò ſeróque, in hoſtem lapſus ac teneri ſenſit. Nec audaciæ fortuna defuiſſet, ni ſatelles Scotus, cum viginti quattuor è ſuis, qui excubias tum forte agebat, aliquoties in hoſtem diſploſiſſet. Quo admonitus vicinus eques, qui è turmis Bellimontianis aderat, impreſsionem ac molimen ſtitit; perforatâ aggeris plerâque parte, vt vix ſeſquipes ad integrum effectus ſupereſſet. Eâ vi graſſator miles, partim impetu paucorum, partim relliquorum metu, muris ſe recepit. Hæc in caſtris. neque minus alibi res geſtæ. Partem equitis, ne ocio torperet, aut obſidionis lentæ exitum, vtilior ad pugnam, expectaret tantum, Boullionêus Dux ac Stakenbroucquius, in agrum hoſticum duxêre. Lyram inter ac Bredanam vrbem, equites ducenti admodum, cum pedite Bredano, obuii. qui poſt certamen acre, cæſi partim, partim capti. Inter quos equeſtrium turmarum Propræfecti duo. Agminis ductori, vulneris curandi, loco proximo poteſtas

** Circonvallation.*

† Tranchee.

ſtas facta eſt. Iuxta Moſam interim cum ſuis Princeps Barbanſonius ſeruabat; ad occultos quoſque hoſtium conatus circumſpicere ac obire juſſus. Miles, quem ducebat, Balanſonio, ſi quid præciperet, parere juſſus, Bredam ablegatur. cujus eâ tempeſtate Balanſonius, Burgundus, ortu nobilis, præſidium curabat, diu militiam pro Rege, per aduerſa quæque ac detrimenta corporis ſecutus; nominis Hiſpani cultu ac fauore, ſuis quoque inuiſus. vnde noua æmulatio, nec alienæ patiens autoritatis Barbanſonius, ad tempus, curâ militum caſtriſque abſceſsit. Miles, Leuram, oppidum vicinum, miſſus, acriorem noſtris vigilandi diligentiam injecit. Mox deinde Endhouum, vrbem, cujus arcem tum tenebat hoſtis, quadringenti miſsi, commeatum noſtris aliaque intercluſuri; fluuiorum quoque aggeribus, jubente Balanſonio, perruptis. quo haud leue damnum partibus caſtrorum atque † acceſſibus, ni protinus ſubueniretur, imminere viſum. Imperator, prudens ſatis, anteuerti melius quam formidari hoſtem, Stakenbroucquium cum Boullionêo, imperata meditantibus immittit. Atque is cognito, pleroſque elapſos, Boullionêum, Bredam repetentes perſequi veſtigiis cum equitatu jubet. Qui velocitate ingenti, propinquantes vrbi commode adeptus, quanquam loco vepribus ac foſsis intercepto, ſtrenue ac pertinaciter certantes, ad deditionem agit. Hoſtis primo, dein oppidum, in poteſtatem noſtram conceſsêre. & vbique, quanto major aduerſorum virtus, tanto nobis efficacius pugnatum. Inter hæc, obſeſsis quantum in calamitate ſupereſſet animi, diebus prope ſingulis compertum. Quippe & ante ex oppido * quæſitor militaris (quem † centurionem nunc

† *Approches.*

* *Prevoſt.*
† *Capitaì de campagnes.*

O castren-

† Adiou-tant. caſtrenſem dicunt) qui & vigilum Præfecti † adjutorem ſeſe ferret, clam in caſtra Principis elapſus, pleraque communicarat. E quo pulueris penuria, nec paucos cecidiſſe, intellectum. nihil æque tamen ac miſsilia ignita, ciuibus infeſtum: vnde in omnes metum ac terrorem, & par damnum. aliaque id genus. Graue id Grobbendoncquio, ac literis ad Principem » teſtatum. cum elogio, Mendacem, fluxæ mentis, & » ambitionis ſummæ. eam abeundi cauſam, & nega- » tam ſigni aquilam, prætexi. Iam & duo milites, eodem tempore propemodum ex vrbe, cum columbis, vt exploratorum mos in caſtris habet, literisque aliquot, Præfecti, Magiſtratus, atque Antiſtitis, ad Iſabellam, & Henricum Bergium, transfugerant. In qui- » bus, fere eadem: Teneri vndique ac premi. Oppi- » dum ſex locis oppugnari. ni deſubito ſubueniatur, » ni munitio quâcunque vi aut caſu perrumpatur, ne » ſpem quidem ſupereſſe, poſtquam cætera deeſſent. » Quæuis à ſe ſociiſque jam pro ſe tentata; neque ad- » verſum hoſtis pertinaciam promotum. cui fixum, » Non moueri. Querebatur Grobbendoncquius, poſt » Idus Iunias, cum eâ die quartus Iduum Auguſti age- » retur, Nullas Principis ad ſe perlatas. argumento haud fallaci, præter cætera quæ deerant, præcipuum viuentibus ſolatium, commercia cum ſuis jam erepta. Notæ quoque, quibus mens inuoluitur, detegebantur; contendentibus haud minus inter ſe ingeniis quam armis. Conſtantino igitur Hugenio id munus datum, qui arcana Principis tractabat; viro, ſedulâ parentis curâ in exemplum ad fortunam quanuis educato. è quibus, ſimplicisſima nonnullis viſa, vni maxime probari: vnde ad ſumma

quæque

quæque acceſſus, nec inuidia ex fide. Parens Principis Wilelmi, dein publicis negotiis adhibitus, tranquillus atque vrbanus, inconcuſſum turbis omnibus judicium ſeruarat. quo innixus, & ſecretum vitæ iter, vacuum obſequio atque odio, vt inter partes medium, ſecutus, quicquid ambitus pleriſque aufert, ad ſuorum curam reuocabat; quos per ſingula ætatum ſpatia, vt partem Reipublicæ, formarat. Nihil hoſtem æque ac locorum quædam ex ingenito humore paludoſa, primo erigebant. Ea quoque ſpes vt tolleretur, molæ, prope Dizam, nouo ac ſtupendo opere locatæ, quæ equorum perpeti labore circumactæ, incredibilem vim aquæ egerebant; inter quas & cochleæ Vitruuianæ. vt naturam loci prius expugnarent, qui de vrbe decertabant. Cæterum, referre magna minuma, eorum, qui dierum acta ſcribunt. quod compendio incœpti operis ac fine alienum. Satis ſit, illuſtribus ac memoratu ad poſteritatem inclytis, præſtare fidem; commentarios eorum ac memoriam ſequenti, quibus geſta pleraque ac notata: forte ne hæc quidem citra tædium lecturis, quibus, non tam expugnationes vrbium, quam expugnatæ, placent; pulchra, nec vtilia, mirari ſuetis. quaſi cauſæ ab euentu, nec tentanti eadem, ſeu domi, ſeu militiæ, præirent. Hoſtis, Amerſurto, paucis antea diebus expugnatâ, non deeſſe ſibi, quin ſucceſſu, quantum poſſet, acriter inſtaret; quanquam ad obſidiones validas aut expugnationes imparatus. Vrbes interim haud procul poſitæ, Hattêmum, Harderwicum, cum Batauoduro, aliiſque, in deditionem poſtulatæ. Reſponſum in eundem fere modum, Non Cæſareum, non Regis » nomen, non cujuſquam, ſibi populoque ſuo cordi. »

„Supereſſe libertatis fœderatæ proceres, ac patriæ Præ-
„fectum. quibus ſacramento dictum; nullis exterorum
„vel obſequiis vel juſſis violandum. Aſſerendæ vrbi
„quam tenerent, neque animos deeſſe ſibi, neque vim
„adverſum hoſtes. Et fiducia pro armis fuit. Hoſtis, famâ de Veſaliâ acceptâ, de quâ mox dicendum, Amerfurtum, diu exercitam ac diuexatam, inſuper & ſpoliatam, linquit. Præiuêre ad facinus tres Croatarum turmæ, cætero præſidio haud multo ante junctæ; aliis ſecutis. Dubii initio, nec minus ad flagitium ex ſe parati, quiſque hoſpitibus vim intulêre. Domus ægris, quos adduxerant, curandis deſtinatæ, primo omnium direptæ. mox & pleraque, eâ parte, cui Campo nomen. Ibi vero, tanquam rabie contacti, rapere obuia ac condita, nec minus properare. Fugere ipſi, ac inſtare. Auferre ſingulis quod proximum, aut extorquere. Fœminis viriſque tegumenta corporum detracta, neque paucis verbera ac manus intentatæ. Multis citra necem. vnum ex agreſtibus, cui diu in agris oberranti vrbs receptus fuerat, in mortem ſaucium, haud multo poſt extinctum, commentarii commemorant. Indignitatem ſceleris invidia augebat; non in captos aut vi expugnatos, ſed receptos fide publicâ, ac per conditionem traditos, patratum. Imminutam vlli pudicitiam in vrbe, nec comperio nec cuiquam credo. Auaritiam ac feſtinationem, raptu ac lubidini interceſsiſſe, haud dubitandũ. Propræfectum, paulo ante, ne vrbs, quanta eſſet, prædæ atque incendio exponeretur, ære publico redemptum, cum ſe medium Croatis, metu euenturi, intuliſſet, perfregiſſe crus, plerique tradunt. Ita vis intendi, cuncta planctibus atque vlulatibus miſceri;

donec

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

donec portis exceſſêre. ea finis trepidationis ac terrendi, plebei pariter atque hoſti. Aliquot è magiſtratibus, recuperatâ vrbe, dies dicta, quibus publici deſerti aut omiſsi crimen ſingulis indictum. Alii exilio, infamiâ nonnulli, quidam è præfectis, ære diruti ad tempus, aut ſtipendio multati. Inter quos fuiſſe fertur, qui è ſolis accuſationibus conuictos ſe, vix & auditos, cum inuidiâ clam quiritarent. etiam de prouocatione cogitatum, alibi & actum. Ego, vt plebeiis odiis haud temere accedendum, ita nec de publicâ ſententiam ferendam reor. quanuis ſæpius teſtatos ſciam, Nihil à » ſe prætermiſſum, quo calamitatem declinarent. De » collapſis mœnibus ac muris, ante obſidionem que- » ſtos. Vix tranſmiſſo Iſalâ ab hoſte, miſſos à ſe proti- » nus Gojêrum ac Weſtrenium, qui opem ſuos poſtu- » larent, metum ciuium exponerent, tormenta, appa- » ratum neceſſarium, ac cætera, deeſſe, nunciarent. » Quin & de vicinâ arce Hemi, milite, vel ſuâ causâ, » muniendo, actum. Neque quicquam, præter literas » ad Principem, de milite mittendo, impetratum. cui, » ſuo, forte & alio, tum opus. Delegatum mox in caſtra » cum Gojêro Dammium, euentu ſimili, nec ſpe majo- » ri, denuo Trajectum rediiſſe, nec obtinuiſſe quod » vrgeret: vt nec ſolum Dammium, haud multo poſt » eodem miſſum. Aſſerendæ vrbi, vitam ac fortunas » obtuliſſe, neque tamen exauditos. Metuiſſe hoſtem, » ſed jam metuendum; nullâ ſuâ ſuorumque culpâ im- » paratis ac improuidis immiſſum. Obuia delicta, vbi » cętera laborant, in exemplum emendari, grauiora de- » linquentium felicitate tegi. Tum dilatos, aut, neglecto » fluuio, expoſitos calamitati, nunc calamitatis pœnas » exigi, nec aliud puniri. Quæ tum illi, aliaque haud

„ pauca, quorum pleraq; nunc manibus verſantur; de-
„ fendendi ſui, an ex vero, animis fauore ac odio inta-
„ ctis diſquirenda. Contra alii, Remiſſe nimis, neque
„ ex veteri ſeueritate actum. Vix auditum, vix conſpe-
„ ctum, & admiſſum hoſtem. Morâ ſæpe exiguâ, occa-
„ ſiones maxumas, & extra ſpem, oblatas. nunquam
„ ſpeciem deeſſe, quæ, exitioſa publico, privatim tuea-
„ tur. Sed & paucos hactenus repertos, qui damnati ju-
„ dicem abſoluerent. Trajecti paulo poſt auditos quoſ-
dam, atq; ad tempus vrbe exceptos, creditur. Hattê-
mum, quæ cum aliis, de quibus ante, in deditionem
poſtulata, oppidum ad Iſalæ fluenta, mille paſſus Swol-
lâ; Campis atque Elburgo alterum tantundem; quat-
tuor Dauentriâ atq; Harderwico abeſt: vt amœnum,
ita loco ac munitione minus firmum. Cætero, mo-
mentum ingens vicinorum: ſeparandis vrbibus
Transiſulanis, alueoq; fluminis ad oram † freti vſque,
cum Velauiâ, Betauiâ, ac Trajectinâ ditione, infeſtan-
dis aut tributo atterendis, peridoneum. Super cuncta,
magnum laudis incitamen, gloria majorum aderat.
Vicinis ad Burgundum inclinatis, terna caſtra ante
vrbem poſita; majore animo quam apparatu, ali-
quamdiu tolerata. vnde honos, nuperis Hortenſii
Annalibus teſtatus. Et jam tripartitis copiis proce-
dere hoſtis. quarum, extra Bergianas, vnas Monte-
cucullanus Amerſurti paulo ante expugnator, Co-
mes Salazarrus Dulcquiuſq; alteras ducebant. Quas
Hattêmo imminere vt intellectum, moniti extemplo
„ ab Erneſto Caſimiro ciues, Partem hoſtici exercitus
„ ad Iſalanum pontem conſediſſe: mox haud procul
„ muris fore. ipſis eam vim minari pluribus comper-
„ tum. Publico ac ſibi quiſque intentus eſſet. Literis
acceptis,

† De Zuyder zee.

Vide Lamb. Hortenſii Seceſſ. Ciuil. lib. VI.

acceptis, conuenire in curiam paucisſimi, queîs ſum- „
ma rei credita. Septemviralis oppidi tum magiſtra-
tus erat. cæterum, par animus, nec cuiquam diſ-
cors. Inter ſe paciſci, Vrbem, quam tenerent, vt vt „
munimentis aliiſque deſtitutam, animis ac fide defen- „
ſuros, quam nunc Patribus ac Principi probandam. „
quibus, quicquid ſibi corporis ac vitæ ſupereſſet, de- „
vouiſſe. Prius denique animâ ac ſanguine, quam loco „
conceſſuros. quæ in publicum, & mutuo, offerre. „
Vulgo ne labarent animi, vigiliis nocturnis ſtationi-
buſque, ipſi permiſceri. [a]Turbâ eadem agentium re-
cepti, præeundo acrius quam monitis, inſtare, hortari,
Eo loco, ſuper ea gloriæ veſtigia ac laudis ſingulos „
nunc ſtare, quibus proauorum quiſque rem feliciter „
geſsiſſet; quorum, tot poſt annos, nomen ac memo- „
riam in terris conſeruari. quanto clariora, tanto pro- „
brum poſteris ac onus, ni audendo eadem, majoribus „
ſuccedant. Nunc, eoſdem eſſe, atque eadem auſuros. „
neque minus nunc virtuti precium ac famæ. Datæ ſi- „
mul ad vicinos, Harderwicum, Campos, atque Elbur-
gum literæ, quæ hortabantur, Sua quiſque tempeſtate „
tali ageret ac cogitaret. Sibi fixum, Nullo hoſtis im- „
petu aut minis permoueri. Porro, cum initio, haud
quicquam populo Senatuique prætermiſſum, quod
firmandæ vrbi aut arcendo hoſti eſſet, ſi quà aduenta-
ret: de quo aliquamdiu ante obſidionem, literæ à Prin-
cipe impetratæ ac promiſſa. Miſſus & haud multo
ante irruptionem in Velauiam, Arnemius, Schraſſero
comite, qui, Iſalâ luſtrato, pontes fluuii viasque refici
curarent; ne quid equitem hac parte aut copias pe-
deſtres moraretur. Idem mox Schraſſerus, fœdera-
tis additus proceribus, eóque Hagam, ſociatæ Rei-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

publicæ ac majeſtatis ſedem, petiturus, penetratum in Velauiam, ad Amſtelam accepit. Et jam de Hattêmo cogitari, variis rumoribus diſſerebatur. Quo permotus, neque ignarus quantum ſuſtinendo fortiter obſidio deeſſet, verſo pariter itinere ac conſilio, ad ſuos redit; magis ciuibus id proceſſurum ratus, quam ſi procul inter conſultantes ageret: futuri haud improvidus, & qui innatam libertatis curam legum inſuper peritiâ firmarat. vnde honeſto incrementum, & vis major.* Explorato quibus opus, ad Senatum vrbis potentiſsimæ, ſubſidia, quæ finibus tuendis eſſent, petiturus mittitur. Nec difficultas nulla, prætexentibus, " Nudari ciuitatem, vt munificam, ſic vnam. Iam Trajecto, jam Nardeno, Harderwico, atque Elburgo, eadem petentibus, ſubuentum. nec ſufficere omnibus, " quæ pluribus non defuiſſet. Eſſe & ſibi metuendum " hoſtem; æque validum, cum idem eſſet. Vicit tamen, quod communis; & egregia aduerſum ſuos fides. Præter aliquot tormenta, tormentarios, nitratum puluerem ac ſclopos, nauis integra cum pilis, glandibus, funalibusque miſſa, & in tempore recepta; feſtinatione haud minus quam beneuolentiâ inſigni. Et jam ante, muniendis muris, cæteriſque tali loco neceſſariis, ex omni parte inuigilatum. Alia ab aliis, demiſsis ad vicinos aliquot, petita. præter animos, qui domi ſuperabant. Militem Erneſtus Caſimirus, ſociis vbique intentus, ac Swollenſes, Friſiorum ac Scotorum ſigna duo, quæ trecentos quattuordecim explerent, ſubmiſere. Interim cum decem millibus appropinquari, & vbique aditus circumſideri. Iam & machinæ diſponi, & in muris expectare ciues, aut excurſionibus laceſſere hoſtem. Nec tormentis modus interim

aut

* *Vide Borrii Hiſtor. p. 282.*


aut quies. Horti arboreſque ad vrbem, hoſtibus ce-
landis opportunæ, quantum feſtinantibus permiſ-
ſum, erutæ aut cæſæ. quicquid frugis necdum pa-
leis excuſſæ, ne tormentis aut miſsilibus ignitis ali-
mentum eſſet aut incendiorum cauſa, flammis ſpon-
te exuſtum; aſsiſtentibus, qui vota anni, qui ſolatia
neceſsitatis circumfuſæ eripi ante oculos viderent.
ita prorſus libertati ſpes viuendi quoque, poſthaberi.
Quo nouiſsime perſpecto, & ſubſidia recepta, de re-
ceſſu cogitatum. Præter obſeſſorum animos, in qui-
bus & matronæ nuſquam juſſa detrectantes, gene-
roſæ voces terruêre hoſtem. Inter captos Iſendornius,
vir nobilis, in caſtris Salazarri ducebatur. qui rogatus,
(& ante oculos ingentes copiæ) Eamne manum, ea „
arma, tolerari ſuis poſſe exiſtimaret? Niſi à majoribus „
degeneramus, inquit. Additur de Scoto, ſtirpe ſimili,
cui Gruno nomen. Is haud multo poſtquam octo-
ginta è præſidiariis vicinis intra mœnia ſub veſperam
recepti eſſent, Duci traditus, de ſingulis ac recepto-
rum numero conſultus, Ad ſexcentos aduenisſe, in- „
trepidus reſpondit. Ab eodem monitus, Cum tanto ſe „
exercitu adeſſe, vt vi cunctantes expugnaret, &, Feli- „
cem ipſum, qui ab hoſte teneretur, ne cum ſuis interi- „
ret, De te, ne decipiaris, inquit, vide. De me, infelicem „
ſcito, qui nec meis operam nunc nauo, neque tuos „
cum his macto: vultu animoque aduerſum pœnas & „
extrema minitantem, obfirmatus. Inde ad prædam ac
vicinos paululum cum equite digreſſus, iterum ad
vallum, hoſtis; irritatis acrius vrbanis. Qui, conſcenſis
turribus muriſque, ingenti ſtrage aduentantem, nec
minori recedentem, affecêre. Et reperti è proceribus
nonnulli ad murorum aditus proſtrati. quidam ferro

P ponderis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

ponderis inuſitati, intra veſtem abdito: clariſsimo ad poſteros exemplo, libertatẽ, nullo metu certius quam armis aut munitionibus defendi. neq; obſidenti aderant, ſi timor proprius abeſſet, quibus pertinaces & obſidium vrgeret. E literis, quæ interceptæ, jam conſtabat, de hybernis in Velauiâ continuandis, cogitatum Bergio. quod validiſsimis caſtellis, & ingenti apparatu, cuilibet perſuaſum. cui, ſpei multum ex Veſaliæ victoriâ ac expugnatione imminutum. Fertur ipſum, nuncio accepto, vt nonnunquam curæ leuiores verba exprimunt, immodicæ includunt, in ſtuporem datum. Neque abnuerim, intentum famæ, inter æmulationes ac judicia ſuorum cum ejuſdem ſanguinis commiſſum Duce, tantâ inclinatione rerum, obhæſiſſe. cuibet comperto, quantum illibatæ recordatio virtutis, atq; intemeratum ante, nunc pollutum belli decus, probri inſolentes curâ ſui tangat. cæterum, & humi prouolutum, & cæſariem læſiſſe manu, & indignas erupiſſe voces, quæq; alia, non plebi modo ſed proceribus quibuſdam credita; autori talium, vt ſcenis aptiora, reddimus. De noſtro, è primoribus auditum, triduum, cum nuncii, qui miſsi, ex obſeſsis itineribus hærerent, famam aſpernatum, dein certius perſuaſum, moderationis ſummæ edidiſſe vocem, Rei incredibilis ſucceſſum, Dei, commodum ac vſum, noſtra eſſe: fauſtis populi applauſibus exceptam. Neque Princeps ſupra ſuos altius ſe effert quam cum vno ſe minorem gerit. quo nec adulatio nec confidentia perrumpunt; mala, imperantium in animos admiſſa, diuturnitati rerum ac conſtantiæ aduerſa. De Veſaliâ nunc paucis, & ex fide, vt cætera, expediendũ. Veterum Menapiorum ſedem, Cliuii nunc tenent.

queîs





Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

queîs in orâ Gallicâ haud pauca oppida, in alterâ Germanicâ, Veſalia, Duisburgum, Emmerîchum, ſiue Embrîcum, habitatur. Vrbem Veſaliam, tum belli caput ac ſpem rerum, noſtris ante annos aliquot ereptam, milite tum modico, diſtractus alibi, tenebat hoſtis. Præſidium Loſanus, gente Hiſpanus, vir per plurima ſtipendia ad primum ordinem enixus, dirigebat. Ciues libertatem, ante expertam, ac diuerſa ſacra, quæ per vim tunc vetabantur, eo acrius, vt ſolet, mente retinebant. cui fruſtra vrbium cuſtodiæ aut leges opponuntur. Ergo vt ſub domino plerunque nihil ſeruienti gratum, neque aduerſis ſubditorum animis aut alienis, quicquam ſatis tutum imperanti; gliſcere odium in dies, & æqualitatis amor. Neque raro conuenire, aut conſilia miſcere. Quidam accuſare noſtros, quod antiqua ac recentia oblitis, ſub diuturna ac ingrata ſeruitute, quondam ſocii ac hoſpites, deſererentur. At non ſic de nobis meritos majores ſuos, qui crudelitate Hiſpanorum ac Albani rabie ejectos, vrbe, domo, ſacris, excepiſſent. Ibi larem ac receptum publicæ calamitatis inueniſſe. Quod virtuti maxime alienum eſſet, in felicitate reperiri, Miſerorum obliuiſci. Tot à liberâ Belgarum gente ciuitates ſeruitutis faucibus excuſſas: ſolis ſibi liberisque, ſub communi libertatis hoſte moriendum. Neque nobis cura vrbis ſed occaſio defuerat. Cui ſerio intentus Otho, Didius toparcha, domo Gentius, jam annos aliquot agebat. qui nobilitatis primæ apud ſuos, patre genitus, præclarâ fide ac candore Reipublicæ probato, inter nobiles in aulâ Principis adoleſcentiam tranſierat. mox ſenſim meritis prouectus, legionis oppidique Embrîci præfecturam obtinebat.

Is

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18


VESALIA
a
b
c
c
c
A. Propugnaculum per quod oppidum interceptum.
B. Demica porta, per quam equitatus ingreſſus.
C. Propugnacula oppido nunc addita, et adhuc addenda punctis deſignantur.
D. Caſtellum majus. nondum exſtructum, quo minus caſtellum hoſtile Comprehenditur.
E. Caſtellum hoſtile majus.
10 20 30 40 50 60 70 80 90 100
Virgæ Rhijnlandicæ



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

Is Henricum Meſchedêum, in eâdem vrbe excubiarum Propræfectum, cum Antonio Tendelio, Heſſeltii † centurionis *optione, alioſq; aliquot in conſcientiam aſſumpſit. Erat inter ciues Petrus nomine Mullerus, arte fullo, cætero, & artem & fortunam, animis prægreſſus. Qui & ipſe, acceſſus omnes ac occaſiones cum affine ac fratre, ejuſdem rei gnaris, clam notarat. Princeps, crebro compellatus aut conſultus, circumſpecte quam præpropere agendum ratus, rem, ambigui ſucceſſus magis quam momenti, callide differri, nec omitti, ſuaſerat. Præſidio in causâ; numero atque armis valido, nec temere tentando. & occaſione opus ad euentum; ſine quâ optari magis magna quam ſperari. Forte euênit, vt Franciſcus eo tempore Loſanus, turrim quandam (Rolinxwertiam dicebant) coctili eductam lapide, † Brunanam inter * Demicamque portam, dirui mandaret; † propugnaculo ibidem exſtruendo locũ habiturus. Ipſum opus pridem inchoatum, alibi apertum, aut acceſſu pronum, erat; *ſudibus infirmis alibi, nec amplius quam vno ordine, munitum. Quod neglectum dum Velauiam teneret hoſtis, vbi & præſidii cum Bergio pars militabat, opportunitatem omnia rimantibus ac viam patefecit. Super cæteros Mullero, qui hac parte pannos, quos, ex arte poliendos, Soli expoſuerat, intentus aliis, frequenter inſpectabat. Cum ad noſtros commearet, aluearibus onuſtus, tanquam ad viſendas apes quas in proximo alebat, vrbe egreſſus, cum iiſdem remeabat. Relliqua, fortuna viri, ac concepta de ſimplicitate animi opinio, tegebat. Interim dum ad obſeſſam vrbem ſpe ac pertinaciâ certatur, ne Velauiâ potitus hoſtis, fluuio tranmiſſo amplius noceret, miſſus cum haud paruâ

† *Capitaine.* * *Lieutenant.*

† *De Bruynſche poorte.* * *De Deemſche poorte.* † *Baſtion.*

* *Palliſſades.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

† De Betuvve.

manu Didius, in † Betauorum agro caſtris locum capit. Quem è conſciis nonnemo ſubſecutus, quæ de propugnaculo ac vrbe cognita haberet, clam exponit. eademque certius inueſtigare juſſus, it, redit, antedicta, re ac verbis, adſtruit; inprimis, rariorem jam in vrbe militem, à Bergio, firmando agmini, diſtractum. Supererat, vt auſpicato cuncta gererentur. Eâ tempeſtate, vt prius memoratum, Arenaci publico egregio inuigilabant Patres. Apud quos accepta Didius, legati, eo poſtulante, bini, propere in caſtra miſsi, rem, vt erat, Principi exponunt. cujus ipſe injuſſu, caſtris creditis abeſſe vetabatur. Sic autoritas acceſsit: quæ ſucceſſus, quanquam parum proſperos, tuetur. Vnum deerat jam; miles. qui nec ab obſeſsâ vrbe poterat deduci: nec ſupererat, qui hoſti ad Velauiam opponeretur. Quem, deliberato prius, partim ibi, partim è præſidiis vrbanis, legi placitum. Quâ cum manu, decimo ac ſeptimo Auguſti, caſtris Betuenſibus à Didio exceſſum. Circa veſperam, ad Schenckianum, ventum. Miles lectus, fere ad ducentos, cum præfectis aliquot; ibidem haſtis leuioribus inſtructus. Queîs præſidiarii vicini acceſſêre. qui Neomago, Gennepâ, Grauiâ, ac Raueſteinio acciti. Schenckiano ad meridiem diſceſſum creditur: vt tanto nox vicinior, itineri præſtaret fidem. Vbi mox trajecto Rheno fluuio, Embrîci quoque ac Rheſæ, deſtinatus inſtituto pedes, equitumque turmæ octo, quîs præfectus Quadus Viqueradus, cæteris junguntur. Peditem Marquettius, Hugenius, vterque Lauicus ac Drieſius, ducebant. Sub occaſum Solem, ad Mellingam præter propter ventum. quâ haud procul, miles vniuerſus, dicto loco conuenire juſſus, quinquefariam

riam partitus. Singulis pro ſe ordinibus ad centum quinquaginta militum, centurio præfectus. Diu ignari quo deducerentur, etiam centuriones, populationes quidam, quidam commeatum hoſtis, atque ex eâ prædam, animis ac voto agitabant. Inter quæ non ſemel hos aut illos, humida atque intempeſta nox diſtraxit, quâ in lucem vſque errantibus, tardatum. Neque minus orta dies animos turbabat. Miles, inter quos & Didiani quidam, ſtrepere aut obniti, deſtitutos ſe in luce queri, ac, ſi pergant, dedi: „ cernere hoſtem, & ab hoſte cerni. Neque aberat, quin „ verum prædicarent. adeo non tectum quicquam, non occultum. Quêis commotus, ac celeritate præuortendum ratus, vbi primum vrbs conſpecta, Didius ad ſuos, Vrbem, quam videtis, ea eſt, commilitones, in- „ quit, quam expugnaturi venimus. Veſaliam dixêre „ nomen. Ea vires, ea neruos belli, ea moram habet. „ Heic quęrendi, heic vincendi, qui in Patriæ viſceribus „ nunc latent. Heic eripienda hoſtibus Velauia, heic „ Amerſurti dedecus piandum. Deus animos ac virtus „ veſtra dabit. aditum occaſio jam dedit. Nec latere fa- „ cinus cujuſquam poteſt. Nox inertibus ſperanda: „ lux, ignauos ac intrepidos diſtinguit. Ipſe dies tam „ illuſtris, ſortis ac felicitatis veſtræ teſtis, prædam pari- „ ter ac decus, feſtinantibus oſtendit, quæ Sol, ortu pro- „ ximus, perſoluet. Hæc, aut hîs non aliena, propere „ effatus, iter vrget. Militi, quem memoraui, acies anterior præmiſſa. quam pontonum nauiumque ſocii, cum lecto juuentutis robore, tenebant. Qui, ducente vno alteroque è civibus, cum Meſcedêo, cæteris præire juſsi: quos cum ſuis ſubſecutus* optio Tendelius. De numero haud multum diſcrepat. Triginta

* *Lieutenant.*

ginta illos, octoginta hos pleriſque traditur. Centuriones, æmulatione ac virtute pares, inter ſe ſortiti. Prima omnium Hugenii ſors fuit. Murum interim priores propius ſuccedunt. Qui jam * ſudes munimenti præpilatas, imbre aut vetuſtate alibi corruptas, ruere orti ac moliri, aditum haud dubium ad cætera tenebant. ni hoſtilis ſtatio, quæ juxta, magnâ vi inſtantes arcuiſſet, vt per rupta ac disjecta, retro militi cedendum eſſet. Quibus interim Hugenius cum ſuis ſuperuênit. quo, noſtrorum animi firmati primum mox collecti, proximi cuſtodes cæſi aut de ſtatu pulſi, munimentum denique hoſtibus ereptum, viam ad interiora dedit. Quâ jam latius apertâ, Didius cum cæteris ingreſſus, portam † Demicam prætori Lauico; Marquettio cum cæteris, partitâ cuique manu, munimentum, quà ſubierant, permittit. Centum quinquaginta militum Hugenio traduntur, quibus vrbem penetrare juſſus. Incedenti, duo Hiſpanorum ſigna, è præſidiis oblata: vbi atrox pugna, nec par hoſtis. tandem &, centurionibus cum milite pleroque cæſis aut fugatis, forum expugnari. Inter hæc cum ſociis Mullerus ac prioribus prægreſſus, clauſtra paſſim rumpere aut laxare; malleo è fabri officinâ primum obuiâ inſtructus. quo, in tantâ feſtinatione, Hiſpano occurrenti perfregiſſe pectus, prædicantem ipſe audiui. Inter ea Didius in vrbem ferri, receptoq; in viâ equite, à Lauico, perrupto portæ aditu, in tempore admiſſo, major ex ſucceſſu animi, Præfectum Viqueradum monet, ac, ne abeat, precatur. Id agendum, ne conueniat in vnum hoſtis. Ideoque, non disjungi, inquit, melius nunc erit. Idem nos diſcrimen, ac, ni Deus prohibeſſit, eadem fortuna manet. Vobis,

* Palliſſades.

† De Deemſche poorte.

juuenes,

juuenes, (affatus equitem) ſequendi gloria, aut pul- »
chre moriendi cura eſto. nec moratus quiſquam ſit, »
quin ferro, impetu, ac manu, via per aduerſos fiat. Iun- »
cti, ſpatiis apertis liberiſque, mediam per vrbem, ad
Lapideam (id portæ nomen quæ ſubvrbium diſtinguit) pariter feruntur. Simul buccinarum, militum, atque vngularum ſtrepitus, vbique audiri. Perſultari vrbs, & capi. in quâ eques nullus, qui procellam circũfuſi hoſtis ac vim ſuſtineret, cui vel triginta ſuffecturos, gnari talium rebantur. Eam partem cum Germano milite Loſanus obtinebat. qui iniquo tempore ac loco pugnam adhuc ciens, cæſis aliquot, in poteſtatem hoſtium deuênit. Quartâ, oppidum tentatum: quintâ fere, expugnatum. Adfuiſſe rebus noſtris ipſum numen, ſoli dubitant qui vllum negant. Argumento miles noſter, aliquoties diſtractus, iterumque ex voto junctus: hoſticus, relictis ortâ luce ſtationibus, digreſſus, aut ſolutus, & jam vagus. quorum arma in cuſtodiis reperta, ne aduerſum cæteros deeſſent. Queîs prodigium expugnatores addunt. Partem propugnaculi, quâ noſtris penetratum, ictu machinæ ab hoſte apertam: ita laborantibus, ac pene loco pulſis, animos ac viam primo datam. Neque minus, è Loſano, capto jam ac dedito, auditum, Ante admiſſum equitem, ſpe etiam tum integrâ concludi intra vrbem jam receptos poſſe, † catarractam, portæ obſerandæ dejici juſsiſſe, nec repertâ machinâ, quâ ſolui ſolita, irati numinis vim perſenſiſſe, quæ pro noſtris, & aduerſum ſuos, ſtaret. Initio, non propinquantes vrbi, non * loricam viæ coopertæ transeuntes, hoſti viſos vel auditos, plurimi mirantur. ſed & vigiles nocturnos, quibus cura extra vrbem data, muniis

† Het ſchof.

* Contre-ſcharp.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

ac loco exceſſiſſe, patet. nulla vox aut ſignum vſquam datum. Quintâ, rebus prope jam compoſitis in vrbe, hoſtem nouum portis incubare nunciatum. quæ res curam altius victoribus injecit. Inquirentibus, compertum, Bredevordii Præfectum Wolfium, cum ſuis aduentare. qui cum horâ dictâ aliquamdiu propter vrbem conſtitiſſet, & jam dies, neq; Didius adeſſet, paulum retrogreſſus, ad ſcloporum ſtrepitum ac tormentorum, denuo acceſsit. & inprimis milite tum opus. Neq; intra muros hoſtium continuit ſe trepidatio. Caſtella duo juxta vrbem erant: quorum altero, minore, quod ad Lippiam, per ſe deſerto, miles ſponte in alterum ſeceſsit: vbi, ad deditionem poſtulatus, nihil præter arma petiit, nec impetrauit. Quadus Wolfiusque miſsi, ad deditionẽ adegêre. Ex noſtris* optionem cum viginti octo, cæſos partim, partim ſaucios; ex hoſtibus, centuriones tres, Hiſpanos omnes, centum octo milites, comperio. Loſano cæteriſq; è primoribus exceptis, mille ac trecenti fere capti; aliquanto plures quam victores. Ad ſeptendecim fuiſſe ſigna in præſidio, vexilla quattuor relata, fide digni credunt. Neq; diu, & ſtrenue certatum; quanuis per incuriam oppreſſo hoſte potius quam victo. Quidam à ſucceſſu tanto, parum abfuiſſe exitium cõmemorant. Initio ad ſpolia digreſſus miles, imperanteis detrectare, ſua quiſq;, inuitis, agere, aut dilabi. Quo, vt ſemper victo propior intentus prædæ victor, grauius à populatione quam ab hoſtibus diſcrimen imminebat. Pariter cum vrbe, quæ tum belli caput, gaza omnis, omnis apparatus, qui tot millibus ſuffecerat, victoriæ acceſsit. De repertis copiis ac prædâ, varie jactatum. Quantum à priuatis partum, ſoli haud ignorant, qui nec aliis nec ſibi rationem reddunt.

* *Lieutenant.*

Miles

Miles habuit, quod nec Reſpublica, nec miles mox haberet. cætera ſucceſſus ac victoria inuoluit. Neque hoſti defuit, quo vltimum fortunæ tueretur. Plures fortiter occubuiſſe fertur; quanuis non eâdem omnes laude. Animoſas voces gens Hiſpana projicit. Auditum è captiuo, maximis autoribus accepi, Nunquam Ducis Syluam expugnatum iri, ſi præſidio ſuorum teneretur. qui jam inter populareis, captâ vrbe, ducebatur. Quod noſtrorum militum facetiis exceptum, quibus efficax modeſtia probatur. cujus documentum alter ex eâdem gente dedit: qui, commiſsis adhuc manibus, trajectus haſtâ, moribundus, ac jam ſolo gentis ſuæ ſpiritu ſuperſtes, per infeſtum agmen prouolutus, nuſquam ante ſtetit, quam autorem vulneris ac mortis, certo ictu vtriuſq; comitem haberet: cum quo expirauit. Alius, diu ſaucius, lapſuſque, ac de genu pugnans, ſpem victoriæ cum animâ, nec ante, amiſit. Capti, mille ac trecenti, templo, tanquam pecudes, incluſi, Diuos ſuos victi adſpectabant, vt iratos. Nihil inter ea mirum æque ac diuerſa vrbis facies & forma. Quidam conſternatione ſubitâ, nec opinatâ re, percelli: pauci, ſero fremere ac minari. plurimorum gaudia, quorundam iræ eminebant. Quidam inter ſpem ac metum trepidare, ne, potiti vrbe, abſcederent, atque irritatis proderentur. Quidam, foribus recluſis aut feneſtris, proſpectare; mox abſcondi. Quidam ſemiſomni, quærere, Quid rei? Et, An ſatis ſalvæ? Simul noſtros patuit receptos, genibus prouolui, cælo intentare manus, deprecari numen, vt pro hoſte ac vindice ſalutis ſuę, ſtaret; vno pro victoribus armati, quod inermes, vt in ſeruitute, habebantur. ne quis libertatem propulſaret, cujus ſpe victoriam auerſabatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

quod Hiſpanis, ad ſubſidium vocantibus, reſponſum à quibuſdam fertur, qui, erepta ſibi arma, teſtabantur. Nuſquam magis ad felicitatem properatum. vna hora, ac pleriſque ſomnus, libertatem, nobis hoſtium fortunas, & in caſtris, noſtra reddidit. Eâdem nocte in Velauianis debellatum; quod euentus mox euicit. Deo immortali gratiæ à ciuitate, tanquam natâ denuo, in templis actæ: inter quas pleriſque vbertim lacrymæ manare, vox ac verba gaudio deeſſe. Nihil libertatem æque ac ſeruitus commendat. Sed & magnam ſuus cuiq; cultus ac relligio in mentes hominum vim habet. magis tamen interdicta. Si permittas, aut ſecundis rebus, vix à conſuetudine diſtinguas. luxus, ambitus, ac opes, item alia quæ vulgo expetuntur, anteuertunt. Vnde maxumum in terris, factionibus occaſio, aut munimentum. neque raro & bellorum cauſa; quanquam partibus non intellecta. Conſilia, cum aliorum, tum Erneſti Caſimiri, in re tantâ plurimi commendant. Princeps, vt vbique, gloriæ haud parum tulit; qui ſucceſſum differendo, promouiſſe videbatur. Interim juventus, quæ paulatim magis oppido ſubibat, militaribus ludibriis, Veſaliam à noſtris expugnatam, hoſti acclamare. Quod dicteriis initio ac contumeliis exceptum. Nec diſſimulabant, „ Falſa objici ac domi „ meditata. Reſponderent ipſi, Quâ ſpe vrbem alienam „ ocioſe obſiderent. Domi propria ac ſua cuique agi. „ In Velauiam abirent: niſi fugam maturarent, patriam „ non habituros. queîs cauillis ſtationes ac cuſtodiæ vtrinque perſonabant. Vbi verum patuit, immenſa paſsim conſternatio ac mœror: nec vlterior per noſtros dubitandi locus. Totis caſtris ignes ſpecie magnificâ

nificâ accenſi. Ex haſtatis quiſque, paleam aut ſtramen, cuſpidi affixum, dein inflammatum, quatere ac vibrare. ita locis omnibus diſcurrere ac vagari. Sclopi ac tormenta, ſingulis in vrbis mœnia conuerſis, ter in numerum diſploſa: quantum nauium vbique, ad caſtra, quantum circa arcium, lucernis, facibus, aut tædis, collucebat. tanto opere ac labore conſtitit, ne hoſtis dubitaret: quod malebat, ſi per noſtros licuiſſet. Magna quippe pars felicitatis, ſuâ aut ſuorum causâ infelicitatem premi; cum opinione aut ignorantiâ non pauca ex aduerſis dirigantur. neque deſperatio ac terror parum ad afflictos ex ſe aut obſeſſos, valent. Nulla nox illuſtris æque rebus Belgicis affulſit, cujus vſum ac ſplendorem dies ſinguli commendant. Expugnatâ eâ vrbe, nihil certum hoſti aut deliberatum. Reuocati, Amerfurto Montecucullanus, Hattemorum finibus, re nullâ, quanuis maximo conatu, à ſe geſtâ, Comes Salazarrus, temere oberrabant. Magis tamen animo hærere Bergius. Angebat ſpiritus ingentis Ducem, ſuper cætera quæ hoſti ex ſententiâ procederent, acceſſus commeatuum prope intercluſos. ac, ni feſtinaret, tot obſidiones vrbium minatos ante, premi jam aut obſideri. Hanc Cæſareanis, beneficii collati ac aduentus gratiam reponi: hoc ſucceſſu, Regis causâ, Belgas experiri. quos cum ſuis, quanto plures, tanto magis jam periculo exponi. Ipſe, poſt conſilia, nec multum moræ, Iſalâ transmiſſo cum exercitu, Velauiâ exceſsit. Naſſauio interea, qui recens aderat, cum octo millibus, Dieſdorfio cum tribus, eo loco quem munierat, relicto. Arcem, de quâ ante memoraui, ex aduerſo poſitam, haud plures quadringenti aut quingenti, tum tenebant. Hinc Boeck-

holtum cum exercitu à Duce ventum: vni curæ tum intento, vt acceſſũ aduehendis in Velauiam quæ opus liberum præſtaret. quâ de cauſâ Iſenburgo quoq; Comiti mandatum, vt cum quattuor ſuorum millibus, ad Rhenobercam deſideret; donec, quantum militi Cæſareano cæterisq; commeatuum ſufficeret, transmiſſum. Neque multo poſt, Boeckholto jam relicto, Iſenburgo ſuos junxit. Ita paſsim rei exequendæ ac conſilii incertus, aliud atq; aliud moliri. Sed & mox Naſſavius, trajecto flumine, ſecutus. qui ad vicum, cui nomen Stendĕra, Dousburgum inter & Zutphaniam, cum ſuis locum cepit. Nobis, ex victoriâ, quâ vulgus militare aſſurgit, prompta magis cuncta, & ex vſu. Intendebat gaudium, cornutum opus juxta Hintumanam, poſtquam bis receſſum eſſet, occupatum; pauco milite è noſtris, cum centurione vno alteroq;, ac quingentis hoſtium, in loco cæſis. Eâdem tempeſtate, è literis ad Arſchotanum ac Colomam, cognitum, ingenti commeatu ad ter mille curruum, rem hoſti auctam.
„ Quod ni ſucceſsiſſet, imminentibus vbique noſtris,
„ fame ac penuriâ ad ſumma ventum. eâ cauſâ nihil in
„ Dousburgum cæteraſq; vrbes hactenus à Bergio tentatum. ſed nec machinæ obſidioni ſuppetebant. Addebatur, quinq; circiter diebus, tria prope millia in caſtris hoſtium deſiderata, qui vel ægri, vel ad hoſtem ſponte aut capti tranſiiſſent. Igitur, quo læta magis occupatæ vrbis fama, eo magis ad obſeſſam cuncta properari. Inter quæ, dimidiatâ Lunâ, quæ ad Hintumanam, pridem expugnatâ, ad Vuchtanam altera intenſius vrgeri. vbi Aſtelæi equitis tum partes. Qui inſtructo inibi cuniculo, pertrahere eo hoſtem ac ciêre, à principe monetur. Neq; multo milite opus. Vexillario

è ſuis

è ſuis cum triginta circiter è juuentute, facinus mandaret, qui ruinam manu ac virtute occuparent. Satis id in præſens. &,è cæteris conſtabat,viſum ſemel Duci, ſanguine quam minimo, incerta prætentandum, nec immodice inſtandum hoſti; ſpei ſæpe proximo,ſi omnis adimatur.Cæterum,non vires poſt ruinam ſua propugnantib⁹, non animi,abeſſe: quo repelli primus impetus aut ſiſti. Decertantibus,Harcourtius centurio,cum centum quinquaginta aliis,ab Aſtelæo,laboranti vexillario ſubmiſſus. quibus vallum extra aſſultantibus,haud leuiter obniti hoſtis, & vtrinque ad haſtas ventum. Nec miſsilibus ignitis temperatum noſtris. Interim dum moliuntur viam operæ à tergo, è ſatellite in ſumma valli clam enixo, intellectum, ſenſim retrocedi. Mox cuniculis duobus, nullâ aut exiguâ noſtrorum cæde, emota tellus. Commodum id Aſtelæo,qui,emiſſo iterum Harcourtio, aduerſos, inter pertinaciam honeſti & flagitium dedendi operis poſtremi, varie diſtractos, expugnato loco, intra mœnia coegit: nullo extra vrbem jam relicto. Décori præclare parto, ſponte quidam è Britannis adfuêre. inter quos inprimis Baſilîum, Comitem Fuldingum, cæteri extollunt. Grates omnibus, quibuſdam & ſeorſim, actæ. Ita jam ad vrbem cuncta geri. Vineæ inprimis calide, nec minus caute, promoueri. Quæ cum foſſæ alteram, aut amplius, explerent partem, pene vt muris propinquarent, quod ſupererat, ſarmentis ac viminibus ex vſu ſolidari juſſum. quo cunicularii tranſmiſsi, qui, perrupto muro, aditum ad propugnaculum pararent. Superabat ſummum opus, ac gerendæ rei finis. Propugnaculum nimirum, in quo vrbis expugnatio, & ipſa. Forte Henri-

Henricus ibi tum Herbertus, legionis proprætectus, ſtrennuus militiæ ac prouidus, cum milite Britanno agitabat, Aſtelæi eâ parte jam ſucceſſor. Neque dubitatum, quin cuniculo, ſed propere, hic opus: quod in eo ipſe hoſtis, ac ne anteuerteretur noſter. Lecti aliquot ex animosâ gente, qui conſcenſo propugnaculo, de quo vtrinque certabatur, ignëis miſsilibus instantes operi turbarent aut pellicerent ad arma. Interim ad exitum deduci noſtrum; pro ruinæ modo, quæ intendebatur, pulueris nitrati quattuor doliolis inſtructum. quanto magis validum, hoc acrius ſervandum, ne diuersâ parte minus caute obſtructum, noſtris amplius noceret. Et haud procul vinea, impenſis plurimis promota. nec diſcrimen leue ab ictu. Ita
„ denique conſultus Princeps, monituſq;, Feſtinari jam
„ ab hoſte; ni præuerteretur, præuenturum. Nocte totâ
„ properatum. Rei exſequendæ tempus deſignaret, aut
„ inſpiciendæ, ſi ex vſu, ipſe adeſſet. Nec ceſſare Herbertus. cujus curâ, ad cuniculum, cuſtodia; parte alterâ, trecenti juuentutis validæ per ordines cum armis ad ingreſſum vineæ, diſpoſiti. Ordinibus, præfectus cuique ſuus; peragendæ rei, & arcendo, ſi quid moliretur, hoſti. Neque procul miles alius à latere cuniculi, cum ſclopis. quò, jubente Herberto, machinæ è proximis* ſuggeſtibus conuerſæ. Quæ agentibus, mandata Principis. ac ſuper cætera, Iam feſtinandum. Addebatur, Acto ex ſententiâ cuniculo,
„ † ſatellitem cum expeditis quindecim, tentando loco
„ quem* ruina daret, mitti velle: ſi præ fracte obniteretur hoſtis, reuocari. plures in diſcrimen dari, nolle. Mane, ad tertiam aut quartam, ignis admoueri juſſus. Nec cunicularii, peractis ordine jam cæteris, cunctati, dicto paruêre.

* Bateries.

† Sergeant.

* Breſche.

paruere. Excuſſum opus cum fragore haud modico; minori tamen efficaciâ quam impetu. quod è ruinâ mox compertum. Ad quam pulueris vis ingens ſubito coorta, lucem ac conſpectum partibus exêmit. Mox ſilentium vtrinq;. & à noſtris miſſus miles, cum † ſatellite uno, operæque, aditu laxando, ac premendo hoſti. Nube paululum diſcuſsâ, viſa ingens trepidatio ac pauor. Hoſtis, ſine morâ, nullâ certâ lege, ferri ac vagari. & inſtare ſclopis noſter. Quibus revocandis, miſsi alii triginta, ægre animos inhibuêre. is tum ardor gentis fuit, in quâ moriendi neglegentia, naturæ virtus eſt. Miles inter hæc ac ciuis, queîs pauore intactum pectus, aut, ſi qui, ſpe reſiſtendi, confidentiam aſſumpſerant, certatim, terram, faſces virgultorum, quorum tali tempeſtate vſus, vi ingenti objectare; ſuperadditâ loricâ, quam * tranſuerſam caſtra nuncupant. In oppido, cuniculi ruinam, clamor ciuiumque mœror inſecutus. Subito ad arma conclamari: æra, tympana impelli: miles ad ſubſidium atque opem, per tumultum conuocari. Quidam, trepidi per vrbem, ac palantes, ut veſtigio eodem perituri, ſupplicare modo, modo, ni tranſigeretur, minitari. ratio ac terror, pariter miſceri. Quidam liberos ac conjuges, poſtremum amplexari. ad aras quidam cum ſuppliciis ac lacrymis prouolui. Miſeranda vrbis facies, hinc clauſæ, vt ſpes nullæ ſupereſſent, hinc ruinâ patefactæ, vt defendi amplius vix poſſet. Ad hæc, tela ac tormenta, pulueris penuriâ, ſine vſu, animoſus hoſtis, atq; eodem impetu mox rediturus, &, ſi fruſtra niterentur, cruor, cædes, ante oculos cum ipsâ morte, metu jam extremo compotes agebant. Præſidi (ſupremo magiſtratui id nomen) ac Præfecto, acriter intonuiſſe, vrbani tradunt.

† *Sergeant.*

* *Trauerſe.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

quorum neglegentiâ aut ſui curâ, huc deuentum. Cu-
» mulandis patrimoniis intentos, cæteris haud aduer-
» tiſſe. Quibus omnia ad luxum ſuperarent, per eoſ-
» dem vrbi neceſſaria deeſſe. id nunc omnibus luen-
dum. Denique, vt extremâ ſpe abſumptâ, ne timori quidem locus, & poſtremum miſeris ſolatium, licentiam calamitas extorquet, diras ac conuicia jactare.
» Acclamari, Vnum perditis jam rebus ſupereſſe, vt
» incolumes perirent: id ad conjugum ac liberorum
» vitam intereſſe, cui vna pertinacia ſuorum jam obſta-
» ret. Eam deprecari. cætera ab hoſte expectandum;
» quem à victis neglegentiâ ſuorum, non arceri amplius,
» ſed irritari. Grobbendoncquius, irarum plenus, nihil præter Bergium atq; irrita auxilia cauſari: quem, fortunæ vi oppreſſum, expectatio ſuorum ac promiſſa, agitabant: pleraque remiſsiori curâ animoque jam gerentem; qui ſecundis aduerſiſque, intenditur, aut jacet. Vnicum poſt ablegatum Spinolam diuerſæ partis fulcrum, quem ad Bredam, die, noctu, cuncta manu obeuntem ac induſtriâ, † Croatæ diu attoniti, ut numen venerati, attollebant, ſedulum, aſsiduum, ſperantem cuncta atque audentem, propriæ felicitatis leges, alio tranſlatæ, deſerebant. quas ab vnâ moderari, quamlibet inuicti, diſcunt. Ipſum, occupatâ, quod tum agebatur, Syluâ Ducis, circa vrbem Gelram, ac finitima locorum, ſubſtitiſſe, audimus. Inter ea, exequendis cæteris, jam de cuniculi ruinâ certior, ad vrbem Imperator aduentabat. Forte eodem tempore incidit, vt tympaniſta ſignum daret. Cauſam ſciſcitantibus, reſponſum, A Præfecto munimenti miſſum, qui colloquium cum noſtris poſceret. Legati propere, Iacobus Wytſius, ſupremus vigilum Præfectus, cum Herberto.

† quibus Agreſtium Deus vulgo dictus. Vide Hermanni Hugonis Comment.

berto. Queîs centuriones duo obuii ex vrbe,qui,diſ-
ſimulando vltimam neceſsitatem,(nam prętextus ad-
huc quærebatur) mortuos,ruinæ vi oppreſſos,belli ac
naturæ legibus concedi poſtularent. duos, ſuper cæ-
teros, nobilitate claros, fato ibi functos. Neque id re-
cuſare Princeps: velle tamen fieri à noſtris. Id dum ge-
ritur, quæſito, vt in talibus, ſermone, Wytſius vtrun-
que affatus, Hactenus virtute, quantâ poſſet maxi- ”
mâ, pro oppido certatum, dixit, nec omiſſum, quod ”
fortiſsimos deceret. Mirum tamen, de conditionibus ”
non agi, qui quo loco eſſent, nunquam minus igno- ”
raſſent. Valido exercitu circumſideri, euadendi ſpem ”
exiguam aut nullam, jam & aditum ad vrbem,proxi- ”
mo cuniculo oblatum. Neq; abeſſe procul Principem, ”
haud minus animi benigni quam ingentis, qui quâ vi ”
in hoſtem vſus eſſet,eâ comitate erga fortes ac virtute ”
ſtrennuos, vtendum ſciret. A quibus, quod clam
agebatur, arte & in ſpeciem eluſum. Sed & alia cau- ”
ſari. Falli quippe noſtros,quos majora de diſcrimine ”
vrbis, quam pro re, ſentire aut ſupicari. qui interea, ”
ruinæ ſpacium, & quæ ab hoſte objecta, ſpeculari. Sic
ad alia digreſsi. & de Obremontio, affine Grobben-
doncquii, ejuſque vicem militaribus præfecto,obiter
quæſitum. Quem, intactum belli caſibus, febriculâ
tentari, jam diſſerebatur; audiente ac præſente, de
quo ſermo. Qui compoſito,vt creditur,ex alterâ ruinę
parte,nondum viſus noſtris,aduentabat. Vbi,poſt of-
ficia, ac cætera, humanitati ſolita, adſtante Herberto,
eadem, quæ ante, Wytſius. Mox, paululum ſeducto,
de transactione quædam. & vtrinq; placitum. Ita ob- ”
ſides,Brouchumius, Bergarum,quæ ad Zomam, præ-
tor, equitumq; turmæ ductor,cum Præfecto vigilum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

in caſtris Carrio, in vrbem; Obremontius cum Apelmano, ad nos miſsi. Queîs tum Princeps, militarium curarum puluerisque plenus, tanquam pars ſuorum, inter operas in vineâ repertus eſt. vt, quanquam præſens, talium inſolitis quærendus eſſet. Quorum alter,
„ Armis hactenus invicti, neque hac obſidione à majo-
„ ribus degeneres, tibi, Imperator, reſeruati ſumus. ſeu
„ virtutem intuemur, minume pudendum: ſeu benig-
„ nitatem, vt in talibus, ſalubre. Nec de ſummâ rei ſti-
„ pulamur, de quâ optime inter ſupplices ac generoſos
„ conuenire ſolet. Dies paucos poſtulamus, quibus
„ certior de rebus noſtris Princeps fiat. vt quos breui
„ transacturos haud ignorat, prius id è nobis ſciat; quo
„ calamitati publicæ autoritas accedat. Id miſeriæ hu-
„ manis rebus, id calamitati additum, vt quibus defuit
„ fortuna, ſibi ac fortunæ defuiſſe videantur. Breue tem-
„ pus, nec victori detracturum cætera, rogamus. Quod
„ ſi impetramus, bis viciſti, quem & arma, & clementia,
„ invictum præſtant. Pene ad blanditias deuentum ferunt, qui haud procul abſtitêre. Dies quindecim deliberando aut ſcribendo, poſtulati. Ad quæ pauca, ac
„ pro re, reſponſum. Exitus ſermonis, Noua atque ini-
„ qua, forte nec rogantibus ſperata, poſtulari. Ita tum dimitti. Quos ſecuti dein alii, haud minus comiter excepti. Poſtulata, quorum inter maxima, de patriæ relligionis libertate, obiter rejecta. Quod Hiſpaniæ, haud pro opinione noſtrâ improbatũ, intima ſcrutati rettulêre; metuenti, ne prouinciæ nutantes, libertatis & antiqui cultus ſpe illectæ, cæterorum cauſam approbarent. ſiue id animis aduerſum aſpera firmandis, & obſequio, in gente callidâ repertum. quidam & inſolita, vt abdita, mirantur. Quarto decimo Septembris,

bris, de deditione penitus transactum. quo Franciſcus Michaëlius Ophouius, Antiſtes, cum Ioanne Morſio, Bernenſi Abbate, Ioanne Hermannio Decano, ac primoribus ex vrbe aliquot, ad Principem legati, veſpere, ex conſenſu Patrum, pactum ac conuentum rettulêre. Leges, quibus actum, ad Bredanam fere formulam conceptas, tum, vt ſolito diffuſiores, † alibi expreſſas, iterare heic, operæ haud viſum. Decimo & ſeptimo, egreſſus vrbe miles; incredibili ad famam populi concurſu. E prouinciis atque vrbibus effuſa plebes ad ſpectandum, magis ipſa ſpectabatur. Tentorium, haud procul vrbe, figi Victor juſſerat. E quo Rex Bohemorum, cum Reginâ, Principe Danorum, Wirtenbergio Holſteinioque Ducibus, atque aliis haud paucis, qui præſentes ſingulis teſteſque fuerant, pulcherrimam diei ſpeciem ac gaudium commune æſtimarunt. Ipſe, caput rerum, habitu gregali, quo virtutem ac ſucceſſum expendenti, maxume eminebat, cum conjugii conſorte, tanto populi allapſu, venerationem ſui ac victoriæ, in aliis intuebatur. Miles noſter, ſic propemodum diſponi juſſus. Intra * aggeres continuatos, peditis pars magna adſiſtebat; exeuntibus tutandis, aut injuriæ ex pacto ac conditionibus arcendæ. Extra, & in myriceto, eques, cui cura eadem mandato Ducis. Qui prætorianis præerat Podwelſius, cum ſignis ſex, nuperrime extra ordinem conſcriptis, ac Walônum totidem, ad vrbem miſſus, vt, egredientibus vrbanis, per ruinæ aditum, in oppidum ſe daret: præcauere exemplo ac autoritate juſſus, ne quis damnum deditis inferret, ciues pariter ac ſacris operatos, vi ac contumeliis arcere. neu relligio aut pietatis cura, quæ nunc odio,

† In fine Operis.

* Trenchees.

vt olim caritate, valet, noxæ cuiquam eſſet. Hinc egreſſum oppido præſidium. Equeſtris turma, cæteris præmiſſa, curâ ſui ac nitore equorum, quibus vt in vrbe diu obſeſsâ, ocium ac torpor pro ſaginâ, omnium in ſeſe oculos ac mentes aduertebat. forte & libertas ipſa, quam non minus bruta perſentiſcunt, animos addiderat. Hinc pedeſtres copiæ, centeni aliquot, ducentibus Præfectis. Poſt hos rhedæ, cum impedimentis, ſauciis, ægriſque: quos juuentus cætera equeſtris, ternâ acie partita, ſequebatur. Inter quos Præfecti conjux, paulo ante enixa, &, in gremio nutricis, ipſe alumnus; ante curam ſui, pars triumphi. quam & aliquanto ante, & propinquam partu, omnibus officiis complexus Princeps, exeuntem longo ac mitiſsimo alloquio excepit. Ipſa, conſtans animi, nec victa lacrymis, acerbitatem ſortis, ne ad ſenſum quidem admiſiſſe viſa; vultu firma ac immobilis. Aſpectum populi ac caſtra præteruectam, erupiſſe gemitus nonnulli ferunt; tanto violentos, quanto acrius inviti premebantur. Sacris aut relligione initiati, cæteris permiſti, habitu inſolito, ignoto, plebei inter arma genitæ, vt peregrini, aut diuerſo orbe nati, viſebantur. Ante aciem ſecundam Grobbendoncquius, tot inter minas hoſtium incolumis, eoque major viſu, eminebat. Vnum, cæteris auerſi, ſingulorum oculi ac vultus ſequebantur; plurimorum odio ac famâ ſui, pariter illuſtrem. Inſolentem contumeliæ, ac cætera prementem, circumfuſo populo offenſum, aut videri voluiſſe, conſtat. cum indignaretur, iram ſimulare maluit. Excepta vox à circumſtantibus, quâ, SAPIENTEM IAM BATAVIAM, pronunciaret: quæ tot ſtolidos, nimirum, ejeciſſet. ſiue

animo,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

animo, vt dixi, minor: ſeu, quod minus popularibus ignoſcunt, quibus regum cultus, pars imperii videtur. Accedebat ægrimonia è caſu. Tria maxima tormenta, tria, quæ ex vſu media dicuntur, cum duobus mortariolis, vocabulo à ſpecie deſumpto, quæ ex pacto euecturus erat, obhæsêre; paulo poſt transmiſſa, ac relligioſe præſtita. Progreſſus, ex officio victorem ſalutauit. cæterum, ſeu properus, jam lapſo die, ſiue veteris fortunæ memor, Eripi ſe nido, quaſi per vrbanitatem, apud Principem profeſſus, equo ſubditis calcaribus, provectus eſt. qui, haud impar arte, & in tantâ feſtinatione, Toleratam diu obſidionem ac feliciter, teſtatus, nec vlterius, dimiſit. Cohors mox Prætoria, cum aliquot è noſtris, vrbem protinus ingreſſa. Mox & Imperator obiter, ac perluſtrandæ: quem è Patribus nonnulli, plebs immenſa, conſecuti. Captâ vrbe, nauta, qui forte aderat è noſtris, propriæ ferociæ ac conſuetudinis maritumæ in terrâ memor, in faſtigio ſupremo turris editiſsimæ, apluſtre, cum inſigni ac colore Principis Arauſii defixit: quod victoriæ navalis ſignum, tum, vt libertatis cœlo proximæ, intenti aduenæ atque accolæ noſtrorum, cæteri, vt fati ſui contumeliam, intuebantur. Ciues, nihil æque ac pulueris neceſſitatem accuſaſſe, cætera, vtcunque tolerari potuiſſe, accepimus. Cecidiſſe ad mille ac ducentos, ex quo vrbs obſideretur, ægros fere totidem, aſſerebatur. neque pauci coram. Saucios ſeorſim perſequi, nec curæ nobis, & incertum videbatur. Eodem die Pettelanum, quod, ingenio naturæ, inacceſſum memorauimus, virtuti Ducis ac labori, præmium acceſsit, noſtriſque ab hoſte ex conuento deditum, victoris militem admiſit. Patres, ob Rempublicam præclare

clare geſtâ, numini diuino ſupplicationes decreuêre. quæ in vrbe captâ, verſis ceremoniis ac ritu, celebratæ. Conuenêre omnis ordo, omnis ætas: quidam nouæ rei magis quam relligionis curâ; cujus ſolâ æmulatione animi multorum poſsidentur. Paucis, loci facies, tantâq; cum benignitate præſens ipſe Deus, & ante oculos Dux victor, tot ſuperſtes caſibus, ac pene ſibi, lacrymas mouere. cujus ductu, vrbem, ante omnium, quas hoſtis tenet, munimentum, nunc noſtrarum, rebus fere deploratis, vt plerumq; numen miſeretur efficacius quam fauet, expugnatam. Hinc agricola vicinus, hinc nobilitas, ſublatas hoſtium incurſiones, ac tot inquietas noctes, ſuper omnia, tributa, ſæpius per vim exacta, adeptamq; libertatem prius quam ſperatam, ſecum expendebat. Tum de curâ vrbis ac munitione cogitatum. Ante cętera, armamentarium luſtrari juſſum. Nicolao Mylio, ſolertiæ ac fidei eximio, id curæ: quem tenuitatem atq; anguſtias miratum, è dicentis ore ac literis habemus. Quattuor viginti machinæ ex ære, octo ferreæ, nitrati pulueris ad pondo tria millia, majores globi oppido paucisſimi, miſsilia ignita ad ducenta quadraginta, funes tormentarii ter mille, glandes nullæ, non ligones, non dolabræ, non haſtilia, non arma, præter pauca, ſitu ac rubigine obducta, viſebantur. Enim vero, inter tot ſecunda, vt plerunque lætis grauiora permiſcentur, nondum aderat ſecuritas: quam copioſus ac munitus in Veſaliâ vel morabatur vel præpediebat hoſtis. Occurrebat,
» Aliena quidem parta, ſed amitti noſtra: tot finitimas,
» tot claras vrbes, premi aut terreri. Expugnatum fo-
» ris hoſtem, eo exitu, vt domi metuendus eſſet: vt Bata-
» viæ naſcentis terminos ac primos libertatis aditus
teneret.

teneret. Extremis pene Americæ atque orbis ſui fi- „
nibus ejectum, intra patriæ præcordia concludi. Ibi „
in hybernis poſthac fore, vbi ne æſtiuis quidem di- „
moueri poſſet. Quid jam animi vicinis, quid agrariis, „
rapinæ ac crudelitati deſtinatis, quibus metuendus „
ſemper, aut ferendus, hoſtis? Anni ſpem corruptam. „
quid ſi proximus accedat? Et admurmurabat popu-
lus, calamitati proximus, Victoriis, quas quiſque ce- „
lebraret, aduocatum hoſtem potius quam profliga- „
tum. id tantopere nunc triumphari. Neque dubie jam
de induciis aut pace quædam ferebantur; cui è pru-
dentioribus nonnemo, metu hoſtis proximi, fauebat:
quem incuriâ admiſſum, jam & armis vix ceſſurum, „
pace oblatâ finibus arcendum. nec ſucceſſui referre, „
quâ id viâ tentaretur; dummodo ne intra patriam la- „
teret. Nobis è conſiliis hoſtilibus ac ſcriptis explora- „
tum, cauſas intimas fuiſſe ac plures, cur de hyberna-
tione in noſtro deſperaret: neque minimas à Duce,
qui collectum vndiq; ad Rhenum militem, cum parte
ejus qui Trajecti in præſidiis, Erneſto Caſimiro tradi
juſſerat; Betaviæ tuendæ, ac vicinis. Peditum ad de-
cem millia, triginta ac tres turmas equitum, accepi-
mus. Quibuſcum illico, Dousburgum inter Keppe-
lamq;, vno lapide à Cæſareanis, locum deligit. Metanti
caſtra, cum pleroque exercitu Naſſauius, caſtrorum
Cæſaris Præfectus, ſuperuênit. vbi leuis velitatio.
mox quies, & firmata caſtra. Stabat Principi, cum co-
piis victricibus, Zutphaniam atq; hoſtem inter, prius
poſitis Erneſti, ſua inſuper munire. ita cingi, dein
cuncta intercludi poſſe. Forte & alio ſucceſſu, quem
occaſio aut virtus daret. Meditanti ea, tanquam cu-
râ numinis aut juſſu, codicilli Iſabellæ ad Naſ-

» Naſſauium perlati. Quorum ſumma, Intellecto aut
» ſignificato ſibi, iis locis cum exercitu, vt parum com-
» modis, ſubſiſti amplius haud poſſe, abitum cum ſuis
» annuiſſe. Vno alteroue die, prius tardiusue id fieret,
» arbitrii ac juris ejus eſſet. Siue metu, ſeu ſterilitate loci ac neceſsitate victis, id à Principe impetratum. Neque diu differre viſum, quod conceſſum. Sed & caſtra, pons * ſublicius, ac munimenta cum caſtellis, ſubito deſerta: miles in Bergenſem agrum ac Iuliacum, tranſlatus. Cæterum, ne noſtris quidem læta ibi cuncta aut diuturna; inclinato jam in hyemem ac morbos anno. Quo ad Principem perlato, quies ac hyberna militi conceſſa. Neque multo poſt ſecutus ipſe. Propræfecto legionis Tienio, cum ſignis quadraginta peditum, turmiſque ſeptem, cura oppidi pro tempore permiſſa. Imperator, Arenaco ac Veſaliâ luſtratâ, cæteriſque, quæ conſilium aut moram poſtularent, obiter peractis, rerum ingens, Hagam Comitis, Nouembris tertio, reuertit. Vix reuerſo, rurſum de induciis, in mediis diſſenſionum ignibus, ab hoſte agi cœptum. Neque vnquam, licet cuncta adhuc Patribus incerta, magis varii rumores aut judicia: vt cuique ſpes aut metus; quæ ſuprema rerum moderantur. Habet hoc corruptum omne in Republicâ, aut minus firmum, vt ad motus ſubitos erumpat: cui ſæpe, affectis partibus, indicio mutationes, vt vt cauſæ adhuc latent. Nec inſolitum Hiſpano, vt ſucceſſu belli minor, erigendis animis ſuorum, pacis aut induciarum ſpes oſtentet; quo haud minus diſtrahi ac in diuerſa duci, plebes noſtra ſolet. Neque cauſæ deerant, quæ belli finem, cuncta reputantibus, ſuaderent. Diſſentire tamen plures, ac reniti. jam & numero, vt fere in

*Vide ſupra.

populo,

fiducia creſcebat. E quibus, qui modeſti moris atque ad quæuis circumſpecti, exitum proceribus ac curam commendare; loci ſui memores ac gnari. cæteri, turbare verbis, aut impelli. Senſim & libelli, vetus malum, acciendis odiis repertum, clam vulgari. Ad quæ conniueri fere jam receptum. ſiue, quod immodica in vulgo, melius ſatietate, ac, ſi diſsimules, mutatis animis, quam metu, obſoleſcunt: ſiue, quod autoritas, cum leuioribus commiſſa, ad majora vim amittit. vetita, & impunita, commendantur. Nunquam tanto ſtrepitu ad arma itum. Nouum inter ciues, ac de pace, bellum. vix ſubinde contumeliis ac minis temperatum. Neque ſemper errat plebes, etiam diuerſa, niſi quod infecta pariter ac facta, concitandis aliis intendit, & prudentiores, ſi quid animo concepit, æque ac diſſentientes, auerſatur. Inter quos fuêre, qui » ſubſiſti poſſe, armis poſitis, negarent. quibus, inclinata » res diſcordiis ni fulciceretur, fors & collapſuram. Tum » in ſimultatibus multorum, ac ſublatis armis, non quo » tutius, ſed odio præſentium, ad alia, ſolutum quemque ocio, perduci. quibus, ſi dematur hoſti, jam inuiſo, nomen, vetera ac dominum, monſtrari. A queîs alii » abibant. qui jam eas vires, eos fines diſſerebant, vt ab » hoſte, quanquã non armatis, nihil metuendum. Eſſet » modo, qui collapſam vim ærarii foueret, qui tributa » publicumq; cenſum definiret, qui commune, ſi quid » vitioſum aut collapſum, reſtitueret, aut ſolaretur, qui » priuatum luxum, fraudes publicas, autoritate coercere- » ret. vitiatis quippe moribus, è publico diſſolui, quod » à quoque diſſipatur. Semel autem conſtituto, ſatis eſſe » æs ſuum, incompoſito atque indigeſto, nullum. Eſſet » qui ciuileis iras mitigaret, qui effrænes, ac nullius »

 juris,

„ juris, quia ſui eſſent, contineret. quales, qui nec no-
„ ta ſibi, & proceribus commiſſa, agerent, aut patriam
„ ardentem magis inflammarent. Poſt repreſſam ſerui-
„ tutem, libertati modus poneretur. quam euerti, ni co-
„ hibeatur. Quicquid nimium ex imbecillitate noſtrâ
„ traheret, eâdem premi: non humana modo corpora,
„ quæ fluxa, ſed & Reipublicæ; per ſe iiſdem legibus
„ manſurum, quibus ab initio formatur, ſi per intempe-
„ riem mortalium liceret. Illa morbis, iſtud factionibus,
„ è luxu aut ſecundis rebus. quæ in ortu melius quam
„ ſero emendari. Cæterum, turbatæ ſemel atque impul-
„ ſæ, quicquid vſquam corruptelæ, permiſceri, & ad fa-
„ ctionum, vt morborum, vim conferri. Vitiis certari;
„ quibus partes creſcere, ipſam interire. Quo ſublato,
„ nullas, niſi ſeruientium & libertatis, fore. Vniuerſæ
„ autem quenque intentum, ac ſecurum ſui, in commu-
„ ne acturum. Damnabantque ſtudia, ac nimios vtrinq;
animos ac voces. Neque fruſtra obſeruabant, quod vbique populo ſolenne, noſtro vſitatum, libertatis vitia nonnullos acrius impellere quam curam. Inter quæ præſentibus ac Reipublicæ intenti Patres, per diverſa ibant. Quorum alii, ne audiendum quidem hoſtem, alii, audiri poſſe, ſed & caute, nec præpropere, & ordinatâ prius ac compoſitâ Republicâ, agendum: neque par, offendi ſocios, aut irritari; ſatis jam potentiâ ſuſpectâ, licet nihil ad inuidiam accedat. Cæteri, condiciones modicas ac æquas, tali loco haud rejiciundas autumabant. Princeps, famam ab feroci hoſte partam, paribus conſiliis ac moderatione domi ſuſtinendam ratus, mentem premere ac celare; probaturus vtro Patres inclinaſſent. Inter hæc ſubinde, vt lo-
„ cus aut res dederat, monere. Vim ærarii cum curâ expen-

expendendam, ſine quo nil recte geri. Tum, in hoſte »
nihil neglegendum; quem arceri parum eſſet, ni inua- »
deretur. tanto quippe in bello noxæ propiorem qui »
non nocet, quanto tutius de alieno quam de proprio »
periculum ſubitur. Spes ac dubios ſucceſſus, cum de »
ſummâ rei agitur, ad diſquiſitionem ac conſilia non »
admittenda. cognitis ac firmis inſiſtendum. Sed & »
præcauendum, ne quid metu aut neceſsitate extor- »
tum, hoſtis judicaret. Forte, nec inermibus de pace »
agendum. Bello quippe intentis, bellum geri optime »
ac finiri. præter hæc, ſi quid ex vſu, ſequi malle, quam »
præire. Prouida, & extra partes, moderatio, vtranq; »
temperauit in futurum, ac direxit. Interim, parare ac meditari quæ agenda; clam, & ſine offensâ. Nam de aliis, diuerſa, læta vulgo aut ingrata, neque vera ſemper, ferebantur. vt plerunque, quanuis dubia aut falſa, de proceribus relata, veritatis ſpecie imponunt. quæ plebs prona arripit, nec raro anteuertit. quoſdam &, qui ad inducias momentum attuliſſe credebantur, aliud haud multo poſt vrſiſſe, ignari diſſerebant: neque deerant, qui meditata vellent, quo largitionibus defatigati, ad obſequium redirent: aut auerſi rebus noſtris fœderati, de officio, non noſtrâ tantum causâ, cogitarent. Quæ ſeu vera, ſeu nonnullis vltro credita, autoritatem Patrum, plebis ſtudia auxerunt, neque parum ad obſequium acceſsit. Et notatum, quibus iſta curæ, vulgus propriâ opinione tutius ad moderationem duci, quam ſuperiorum metu; vbi quiſque nullo, vel occulto impulſore, ſibi credit. Ad quæ multum terror ex Hiſpano valet: vnum ex potenti hoſte, & aduerſus ipſum, ſalutare rebus noſtris bonum. Circumacto prope anno, dum Veſalia

 luſtratur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

luſtratur, ne pars vlla Duci, vel abſenti, laude vacua abiret, miſſus Hauteriuius cum pedite ad quadringentos, ſignis equitum duodecim, qui Iſelburgum pariter cum Ringelbergâ, valida caſtella, pluribuſque excurſionibus infeſta, occuparet. E quibus, hujus quidem, opera, quæ extra hoſtibus objecta, primâ die; mox ſecutâ, ipſum ceſsit. vt & Iſelburgum. Neque multo poſt & Buricum, Veſaliæ in ripâ Rheni alterâ vicinum, duce Staquenbroucquio, acceſsit. Quæ haud multis menſibus peracta, fidem apud poſteros vix inuenirent, ni recenti hominum adſpectu ac memoriâ abſoluerentur. Vrbs obſeſſa, ac mox expugnata, quam, quod toties obſeſſa eſſet, expugnari poſſe, nemo jam credebat. Quo conuerſâ Principum duorum manu, qui potentiâ ante omnes, deſtinata bello ſedes, cum immenſis opibus atq; apparatu, ante amiſſa, quam amitteretur, cujus causâ bellum inchoatum eſt. Invſitata cuncta atq; inſolita. Vtrinq; Ducum primi; expectatione magis quam ætate pares. &, vt ſanguine, ita proximi virtute. Alter omnibus, pleriſque alter alio ſub Duce geſtis, etiam tum ſummi: neq; minus, armis inter ſe experti; niſi quod ſucceſſum meruit qui vicit. Altero non minus digno, qui non niſi cauſæ tali cederet ac Duci: odio ſuorum ac inuidiâ vt major, ſic pleriſque commendatus; cogitantibus fortunam belli, & iniquam ſæpe ſortem immerenti. Illinc terror orbis, Rex ac Cæſar, cum immenſis viribus ſuorum. Hinc ſubſidia ac vires exterorum, nullæ: quibus fulti olim, tum, ad æſtimationem propriarum, deſtituti ſumus. & vbique Deus. Cujus ductu, cætera ex voto, & eodem curſu. Opum pars, quêis toto anno militatum, ſub initium aduecta: quo ſtipendium ab hoſte

hoſte ad victoriam oblatum. Occupandæ vrbi, fluuii repreſsi, qui, vt cætera, parêre Duci, ac ambire caſtra juſsi. aqua ac paludes ſolidatæ, & in terram verſæ: terra, parum apta obſidentibus, æquata. Opera, quæ numero ac mole, coram intuentes fatigarent. Ambitus, quem vix præſentes credidêre: poſteri vt credant, vix à famâ expectandum. Geldriâ, Trajecto, cæteriſque, qui vicini, metu atque oneribus exemptis, vtraque in Brabantiam conuerſa. & nunc, tantis ſumptibus parata Breda, tantis militum tenenda, pœnitentiæ occaſio aut damnum. Occupatum iter, quo tot annos cætera tuemur, & victoribus ereptum. cognito vtrinque mutuo ſucceſſu atque aduerſis, libertatem penetrari ac defendi penetratam poſſe. Pro trajecto Iſalâ, ſubactus, ac propemodum in poteſtate noſtrâ, Rhenus. Pro Velauiâ, Germania aperta. & vtrinq; noui limites, nec vlli hoſtibus relicti; præter militem & metum. Amerfurtum expugnata, mox deſerta. Denique materies Annalium ac ſumma, annus vnus, neque totus. Idem lacrymis & gaudio agreſtium exceptus: idem ſummi metus cauſa, & plus voto. Eodemque de ponendis armis actum, quo proſperrime iis vſi ſumus. & indicium ſucceſſus maximi, induciæ oblatæ: majus tamen, necdum hactenus admiſſæ, & judicio incolumis ac ſaluæ libertatis inter tot diſcrimina, relictæ.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

VOCVM MILITARIVM, ATQVE aliarum, quibus Autor vſus eſt, quæque magnâ ex parte in margine expoſitæ, ſecundum literarum ſeriem, Interpretatio.

A.

Agger continuus, *Retrenchement*. Notandum vero vocem quoq; *Trenchee*, cum de obſidétibus, vt ſæpe hic, ſumitur, eodem modo reddi, nam de obſeſſis proprie *Receſſus* dicitur.
Agger caſtrenſis, *vel* caſtrorum, *idem*.
Adjutor, *Adjoutant*.
Aquilifer, *Port-enſeigne*, *Vaender*.

B.

Betauia, *de Betuwe*.

C.

Campeſtria tormenta, *Velt-ſtucken*.
Catarracta, *Eſcluſe, een Sluys*. alibi, *Het ſchof van de Poorte*.
Centurio, *Capitaine*.
Centurio Caſtrenſis, *Capitaine de campagne*.
Colūnæ vineæ, *Binten vande Gallerie*.

D.

Dimidiata luna, *Demi-Lune*.

I.

Imperator, *General*. qui terrâ aut mari ſummo cum imperio præeſt.

L.

Latus propugnaculi, *Flanc du baſtion*.
Linea, *Ligne*.
Linea communis, *Ligne de communication*.
Lorica, *Parapet*.
Lorica transverſa, *Vne traverſe*.
Lorica viæ coopertæ, *Contreſcharp*.

M.

Mala Punica, *Grenades*.
Moles, *Ravelin*. alibi, *Een kribbe*.
Mortariolum, *Een Mortier*.

N.

Nauis Prætoria, *Admiral*.
Nauis Vicaria, *Vis-Admiral*.

O.

Obex, *Een Dam*.
Optio, *Lieutenant*.

P.

Pons ſublicius, *Vn pont ſur pilotis*.
Præfecti, *Officiers*.
Præfectus legioni, *Colonel*.
Præfectus oppidi, *Gouuerneur*.
Præfectus Prætoriano militi, *Capitaine de la Garde*.
Propugnaculum, *Baſtion*.

Q.

Quæſitor militaris, *Prevoſt*.

R.

Reductus, *Redoute*.

S.

Statio, *Corps de Garde*.
Succinctum valli, *Faulſe-braye*, alias *Lorica horizontalis*.
Sudes præpilatæ, *Paliſſades*.
Suggeſtus tormentorum, *Bateries*.
Summus vigilum Præfectus, *Sergeant Major General*.

T.

Tribuni, *Officiers*.

V.

Vallum, *Rempar*.
Vexillarius, *Port-enſeigne, Vaender*.
Via cooperta, *Contreſcarp*, &, lorica viæ coopertæ.
Vinea, *Gallerie*.

VICO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

VICORVM, PAGORVMQVE, QVI in Ditione Syluæ Ducenſis extant, prout curioſis talium, ſecundum literarum ſeriem diſpoſita ſunt, nomina.

A.

ALemum.
Arlebeka.
Aſtena.
Aelſta.

B.

BOxtela.
Beerzéa.
Breugela.
Berchemum.
Blaertema.
Boechela.
Berlicomum.
Bladela.
Bardela.

C.

CRanendonckum.
Cromvoierta.

D.

DOerſa.
Dennenborchum.
Diethêmum.
Dinthera.
Dorna.
Deuſa.
Dommela.
Dieſa.
Dreuna.

E.

EMpela.
Erpa.
Edersêla.
Eſſcha.

G.

GEſſenum.
Gewondena.
Gemerta.
Geldropa.
Gervena.
Geſtela, prope Herlaram.
Geſtela, prope Oſtervicum.
Geſtela, prope Endhouum.
Gemundena.

H.

HEſvicum.
Heſa.
Herpenum.
Haſſarta.
Heza, prope Lerdenam.
Harena, prope Megam.
Helvorta.
Hogenmierda.
Harena, prope Oſtervicum.
Hilvarenbêca.

T Keſſela.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

K.

KEſſela.
Knechſela.
Kuycka.

L.

LItha.
Litthoia.
Lieropa.
Lenta.
Loemela.
Lona Santêna.
Liemda.

M.

MEga.
Macheharena.
Mara.
Mierlôa.
Mierda.
Marſeſa.

N.

NVlanda.
Niſtelroia.
Nederwettena.
Nuenhêma.
Nederwerta.

O.

OScha.
Oyena.
Opwettena.
Oirela.
Oirſchotum.
Oſtervicum.

P.

Poppela.

R.

ROſmâla.
Rueſela.
Rythouum.
Rycxtela.
Roeia.

S.

SLiphouta.
Schaicka.
Scindela.
Stenſela.
Stripa, prope Endhouum.
Strata, prope Endhouum.

T.

TIlburgum.
Tongelroium.
Teſſela.

V.

VEſſemum.
Volkena.
Vdena.
Verchela.
Vlierda.
Velthouum.
Vdenhouta.
Vuchta.

W.

WOenſela.
Wettena.
Waelra.
Werda.
Wella.
Wintelra.
VVaelvicum.

Z.

ZOnna.
Zelanta.
Zoenendoncka.
Zoemera.
Zeelſta.

CAPITA

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

CAPITA PACTIONIS
Sacro ordini, Magiſtratui Syluæ Ducenſis, ac ciuibus conceſſa.

I.

PRimo, omnium offenſionum ac injuriarum, quæ Vrbanos inter, ac Prouincias, quas Fœderatas dicunt, quà ab ortu ac initio ciuilis belli, quà obſidionis tempeſtate, quoquo loco, quoquo modo, publice aut priuatim, extra Vrbem, aut in eâ euenêre, obliuio ac venia conceditor. Qualeſcunque, pro non factis, pro non dictis, mentione omni ac memoria ſublatà, ſunto. Non actio, non quæſtio, earum causâ, jure, aut extra jus, permittitor. Quod perinde in defunctis, eorumque hæredibus ac bonis, obtineto. quæ immunia atque integra habentor.

II.

Vrbis incolæ, ad publica decreta, in Prouinciis recepta, lata, conſtituta, ſeſe componunto; libero cujuſque, vt cæteris in locis, de relligione ſenſu ac judicio. Initiati ſacris, intra menſem alterum ex vrbe diſcedunto. Ipſi interim, ad leges ac decreta, heic recepta, vitam publice agunto. Sua quiſque vtenſilia, mouentia, effigies, picturas, aliaque ejusmodi templorum ornamenta, ſecum tranſportato.

III.

Iiſdem viuis ſuperſtitibuſque, omnium bonorum reditus fructusq; in locis tributariis, ad ipſos redeunto. Eccleſiaſtica, atque, vt nunc loquimur, Paſtorum bona, penes Fœderatos Patres permanento; in vſum oppidi, aut, vbi viſum, expendenda.

IV.

Sacris virginibus, cum cæteris relligione initiatis, habi-

tandi intra Vrbem locus eſto. Ibidemq̨, è reditibus, quêis ante, aluntor; Fœderatis Patribus permiſſo, vtrum locis ſolitis, an alibi, morentur.

V.

Vrbis vniuerſæ incolis, quà ſacris ac religioni ante operatis, quà diuerſi inſtituti, ſiue profugis, ſeu alijs quêiscunq̨, quaquâ dignitate, præfecturâ, munere, ſeu militari ſeu diuerſo; hactenus ſub Rege functis, qui vel in Brabantiâ vel ipsâ Vrbe magiſtratum gerant, geſſerintue, vita, res, opesque, incolumes ſeruantor; quatenus ſuperiori capiti hoc ipſo nihil derogatur.

VI.

Vrbani, ciues, incolæ, quà ſacri, quà diuerſi inſtituti, apud Fœderatos Patres Principemque, humane comiterque habentor. Ipſique in poſterum, cum Vrbibus Prouinciisque cæteris, incolumi, vt ad id loci, libertate priſtinâ, negotiantor atque agunto.

VII.

Fœderatis Patribus ac Principi, jus idem poteſtasque in oppidum ejusque Ditionem, quatenus annexa Vrbi, quæ jam ante Ducibus Brabantiæ in eas fuit, eſto, ac defertor. eodemque loco Vrbs, quo primariæ illius vrbes habitæ, habetor.

VIII.

Ciuitati, ciuibus, Vrbisque ac Ditionis incolis quêiscunque, jura omnia, immunitates, priuilegiaque, quibus ante initia bellorum compotes fuêre, quà in genere, quà ſingula ſeorſim, terrâ pariter marique, in Brabantiâ, Gelriâ, Batauiâ, Zelandiâ, ad Rhenum, cæterisque in Prouinciis, fluminibus, ac locis, quoad vectigalia, tributa, prærogatiuas conceſſarum mercium cuiusque generis, atque alia, exceptione nullâ, hactenus legitime collata aut poſſeſa, permanento.

IX. *Supre=*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

IX.

Supremum Ciuitatis regimen, quà in cauſarum atque litium cognitione, quà ciuili moderatione ac curâ, penes magiſtratum, triaque vrbis quæ nunc vulgo nuncupantur Membra, permaneto. neque alii, præterquam ibi nati, aut initiali fidei lavacro tincti, quibusue jus originis à Fœderatis Patribus collatum fuerit, ad eas dignitates euehuntor. In præſens vero, penes Principem, ac Patrum delegatos, totum juris publicæq; rei moderamen, creandorum item, quà ſummorum, quà ſubalternorum, vti, vocant, magiſtratuum, Rectorum, Præfectorum, Publicorum miniſtrorum, jus relinquitor.

X.

Jus arbitriumq; Ciuitatis, in hæreditaria, ac jus indictionum, piſcinarum, publicarum menſurarum, menſtruorum deniq; redituum, vt hactenus, in poteſtate arbitrioque ejus, atque vti jure ei competit, illæſo integroque cæterarum quas nunc Fœderatas nuncupant Prouinciarum jure ac poteſtate, conſeruator.

XI.

Quicquid commeatuum ac victus, cujuscunque denique materiæ, in vrbe ſuperfuerit, quæcunque bona publica (parata ea ſint, ſiue imparata) Ciuitatis, vt ſunt, ita ſunto. quorum quodq; publicos in uſus commodumq;, adhibitum, diuenditum, aut conſeruatum, permaneto; prout tribus Membris, de quêis ante, viſum placitumq; erit: armis ac tormentis, cæteroq; apparatu bellico, exceptis. qui in vſum Ciuitatis cæteris venalibus eximitor.

XII.

Collegia, Societates, cujus generis, quæ jaculis experiuntur, aliaque è ſedentariis mechanicisq; conſtituta, pariter cum cæteris quæ hactenus in vrbe ſunt Collegiis, in poſterum manento. Quibus, præter leges, inſtituta, priuilegiaque, quicquid commo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

dorum, redituum, bonorum, ſiue in numerato ac præſentibus, ſiuę alibi locorum poßidetur, quoquo modo, vindicatum, emptum, paratumue ſit, ita, vti nunc eſt, permaneto. De quibus Quæſitores, vti nuncupant, Præfecti, ac Rectores, ex ipſorum vſu commodoque diſpenſanto, deque iis, prout viſum, ſtatuunto.

XIII.

Ne quis in Bataviâ, aut aliâ ex junctis Fœdere Provinciis, vel Ciuitatis, vel Societatum, atq; Artificum, qui eam incolunt, inſignia, quocunque modo repræſentet exprimatue, curæ eſto. (quales ligulari, cultrarii, aliique generis ejuſdem) Quorum quiſque, vrbis ſuæ, in quâ quæque ſunt, proprium, exprimito ac vſurpato. Singulæ id genus artes ſedentariæ, ad hæc tincturæ Nundinæque annariæ, civilis belli tempore impetratæ, extra vrbem, atq; in Ditione inhibentor. Ni fortaſſe Ditionis incolæ, de Nundinis annariis à Fœderatis Patribus auditi, cauſam probent, aliudque ex æquo ſtatuatur.

XIV.

Vrbis incolæ, quique extra Vrbem atque in agris tributarii, eodem loco, eodemque jure, quo Provinciarum cæterarum incolæ, in vrbibus atque agris, ſunto, atque habentor.

XV.

Quoad reditus legitimaque debita, à tribus Ciuitatis huius Membris, eorumue delegatis, magiſtratibuſue, obſidionis tempore, vel ante hanc, contracta, aut ex fide interpoſitâ præſtanda, ſiue ea inſtrumentis ſint mandata ac ſignata, ſiue ſecus, ſingulorum rationem accuratam, magiſtratui quiſque exhibeto. quo de iis, vti par eſt, apud Fœderatos Patres ſtatuatur.

XVI.

Quibus, cæteriſque in poſterum oneribus ſoluendis, vti par eſt, ac luendis, reditus, exactiones, ac tributa Ciuitatis, vti hacte-

nus,

nus, continuanda, ab iiſdem tribus Membris, ex præſcripto Priuilegiorum, vel intendi, vel imminui, fas eſto. eâ lege, vt iis ſumptibus reditibusque, quibus publica res ſuſtinetur, nihil detrahatur.

XVII.

Acta omnia, ſententiæ, decreta, definitionesque, à tribus Membris, magiſtratibusq; latæ, quatenus tranquillitati publicæ aut ſtatus Fœderati, nihil derogatur, etiam judicia, ab aſſeſſoribus pronunciata, bonorumue, ſiue ea intra ſiue extra Vrbem ſint, euictiones, recte, ac legitime, vti fas eſt, confirmatæ, vim eandem obtinento. Saluo tamen jure eorum, quorum intereſt, intereritue. quorum prouocationi, vbi æquum erit, locus eſto.

XVIII.

Quicunque è magiſtratu, quà, defuncti eâ dignitate, quà, qui jam in ipſâ, publicæ pecuniæ dinumerandæ, actisue vllis conſultisue, in eam rem conceptis, præfuêre, Quæſtoresque, à quibus ex autoritate eorum perſolutæ ſunt; poſt rationem redditam, à nemine eo nomine conueniuntor, ſiue compellantor. Eædemque rationes, ſeu Quæſtorum, ſiue cæterorum, qui cum publicâ autoritate iis præfuêre, quæſtioni nulli aut cenſuræ denuo ſubjiciuntor. Omnes denique Quæſtorum rationes, quà dominiorum, atque ditionum, quà Brabantiæ ipſius Ordinum, eorum item qui tributis, ſiue mercium quæ euehuntur nomine perſolui ſolitis, ſiue aliis queiscunque, vt munitionum curis ac impenſis, præfuêre; immotæ, vtque ſemel approbatæ atque admiſſæ, extra quæſtionem ac cenſuram permanento.

XIX.

Præfectura menſulariorum, qui nunc vulgo S. Spiritus vocabulo indigitantur, Magni xenodochii, templorum fabricæ, palatiorum publicorum, ædiumque, in quibus orphani, leproſi,

furioſi,

ſurioſi, aut expoſiti, aluntur, aliæque quæ priuatis, ſeu matronis, ſiue viris, inſtitutæ, Præſideſque eorum ac Rectores, vti hactenus, ex normâ priuilegiorum tenet ſeruaturque, à tribus Membris, in futurum conferuntor.

XX.

Molas cuiuscunque generis, in Vrbe aut Ditione, ſiue eæ oleariæ, ſiue aliæ quæcunque, vento aut jumentis agi ſolitæ, quæ vel obſidionis, vel ſuperioris belli tempeſtate, dirutæ, tormentis quaſſæ, aut quacunque vi deſtructæ, proprio in fundo finibusq́; erigendi, poſſeſſoribus, arbitrium, jus, ac poteſtas, dator. Idque liberum, ſine alio permiſſu veniâque, eâdem lege ac oneribus, queîs ante demolitionem tenebantur, niſi forte in vſum publicum adhibeantur, ſemel eſto.

XXI.

Cuilibet è populo vrbano, cujuscunque loci ordinisque, ſiue is Hiſpanorum Regi ſacramento dixerit, ſiue Vrbis fide obſequioque teneatur, liberum ex eâ itum atque exceſſum, cum familiâ bonisque, eueſtigio poſt occupatam, in eamque rem, vt viſum, currus, rhedas, naues, cymbas, quà è proximâ Brabantiâ, Batauiâ, Prouinciisque Fœderatis, poſtulandi, accerſendi, poteſtatem, tribui, concedi. Neue id ipſis, opibus, rebusue, eorum, aut vectoribus, in itu redituue, fraudi fore: ſine vllo denique, quà à militibus, quà fiſci exactoribus, moleſtiâ damnoque, proceſſurum.

XXII.

Ciuibus, qui Vrbe exceſſerint, cum cæteris qui intra muros celebrant coluntq́; etiam qui Hiſpanorum Regi, domi pariter belliq́; operam nomenque hactenus dedêre, cæterisq́; vt & hæredibus eorum, anni tres proxime inſequentes, permittuntor. Quo res quiſq́; interim in Vrbe atque extra, mutet, diſtrahat, vt viſum, transferatq́;. Eaſdem, per quos viſum, vbi viſum, ſinguli

recipiant,

recipiant, atq; adminiſtrent. Defunctis inſuper in Vrbe, aut extra eam, intra tempus memoratum, teſtamento, ſiue inteſtato, hæredes proximiq; agnati ſuccedunto.

XXIII.

Quibus inter ea viſum, ſiue ex vſu erit, ſubditas Hiſpaniæ provincias adire atq; vrbes, quater id quotannis, fas ac jus eſto. Præfecto tamen conſcio, id quisque facito. à quo commeatum, nemini indictâ causâ temere negandum, impetrato. In Vrbe poſt tres annos denuo, aut locis neutri partium addictis, aliisue, qui tributum pendunt, ſedem figito. Ibidem, libertate eâdem itus reditusq;, ac negociandi, cæterisq; hic conceſsis, fruitor.

XXIV.

Præfectus atq; Propræfectus Vrbis, è familiâ Naſſauicâ, aut Belgicâ nobilitate, incolisque, aut noſtratibus, nec alius, in Vrbe conſtituitor.

XXV.

Oppidi præſidium, iisdem quibus cæteri oneribus, quoad indictiones, cæteroſq; ciuitatis reditus, obnoxium in Vrbe, nec immune ab iis, eſto.

XXVI.

Præſenti pacto ac transactione, etiam abſentes, quà municipes, quà ciues, incolæq; cum conjugibus ac liberis, ſed & quiſq;, quà in Vrbe ſacris operatus, quà diuerſi inſtituti, continetor.

XXVII.

Aegro cuiq; ac ſaucio, quà militi, quà aliis, in Magno xenodochio, aut alibi, è vulnere hactenus aut morbo decumbentibus, ibidem, quoad penitus curati fuerint, hoſpitium ac locus dator. Curati, vel in Vrbe permanento, vel, quò lubet, concedunto. Cui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

rei, currus, rhedæ, rebus atque impedimentis ſingulorum deuehendis, extra noxiam fraudemque præſto ſunto.

Quæ Pacta capitaque, à Principe Aurasio, Illuſtriumq; ac Præpotentum Ordinum, quos Fœderatos nuncupant, legatis, Sacro Ordini in Vrbe, Magiſtratibusq; ac ciuibus Syluæ-Ducenſibus, conceſſa atque exhibita, iisque pro autoritate ac mandato, quo legatus quisq; eſſet, approbata. Cui confirmando ſingulorum nomina expreſſa. Vuchtæ ad Syluam Ducis.

Fr. Michaël Epiſcop. Syluæ-Ducenſis.
Fr. Iohannes Morſius, Abbas Bernenſis.
Ioh. Hermanni Decanus Syluæ-Ducenſis.
R. Vornenſis. I. Veldius.
R. Grineuius.
B. Loeſius, Slotius.
Henricus Somerſius.
Petrus Hubertus Herialtuvelius.

Belgarum Fœderati Proceres, audito, quæ à delegatis expoſita propoſita, perſpectis, lectis, atque examinatis Pactionum omnium capitibus ac partibus, omnes ſingulasq;, poſt deliberationem ſolitam, probarunt, admiſeruntque, probant atque admittunt. Vtque rata ſint, prout concepta ſunt, ac porro habeantur, operam daturos ſpondent.

PACTIONIS CAPITA

A Principe Auraſio, Præfecto Syluæ Ducis, Centurionibus, Tribunis, ac militibus conceſſa.

I.

PRæfectus Vrbi, cum Tribunis omnibus militibusque, cujuscunque generis aut ordinis, ſiue equo ſiue pedes mereant, omnino nemine, ac ne iis quidem hic exceptis, qui relicto ſacramento Ordinum, ſub Rege Hiſpaniæ ſtipendia fecerunt, liberi, ſine vllà morà, vel moleſtià, cum armis atque impedimentis, Vrbe egrediuntor. Eques ad clangorem tubæ, ſignis euolutis, more ſolito armatus, gladios ac tela manu geſtans; pedes, explicatis itidem vexillis, ad conſuetum tympanorum ſonum, funibus vtrinque accenſis, pilis ori glandibusque inſertis, eâ ſpecie formâque, quâ in acie incedi ſolet; quoad vitam bonaque, vti quiſque poſſidet, ad vrbem Dieſtam vſque, ſalui ac incolumes præſtandi.

II.

Tribuni omnes militesque, quà jam valetudinarii, quà ſaucii, in xenodochiis aut alibi depoſiti, dum viæ atque itinerum moleſtiis ſuffecerint, ibidem permanento.

III.

Sex tormenta, cum duobus mortariolis, ſelecta à Præfecto, pariter cum ipſo apparatu, inſtrumentis, cæterisque ad ea neceſſariis in bello, quibus duodecies diſplodi quæque poſſint, euehuntor.

IV.

Equi, currus, atque aurigæ, ſingulis tormentis, mortarioliſq; ac apparatu ſingulorum, neceſſariisque, Dieſtam vrbem vſque euehendis, præſto ac parati ſunto.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

V.

Apparatus omnis bellicus, qui Hiſpanorum Regis, atque commeatus, ſine dolo malo, quibus Principi Auraſio collubitum viſumq; exhibetor. Solo eo commeatu dempto ac excepto, qui ante menſis duodecimum, quo agi cœptum eſt, diuenditus jam traditusque erit: qui legitime atque ordine diuenditus cenſebitur. neue cuiquam, ejus causâ noxam vel moleſtiam creare emptori fas eſto.

VI.

Currus, quot ſuffecerint, equique, in Præfectorum, Tribunorum, militumque vſum, bonis, vtenſilibus, impedimentis, Dieſtam vſque deuehendis, exhibentor. Quibus militum præſidiariorum, ſauciorum, valetudinariorum, mortuorum, etiam abſentium, ac transfugarum, arma continentor. Iidemque currus, liberi ab inquiſitione atque immunes, ſunto.

VII.

Quibuscunque res ſuas, ſiue impedimenta quælibet, Antvverpiam transferre lubitum viſumque erit, naues è Batauiâ, vehendis, ſumptu publico, paratæ, ipſi, ab tributo omni, vectigali, ac oneribus immunes ſunto. quibus aſſeruandis inſpectores cuſtodeſque adhibentor: inquiſitione, injectione manus, ac retentione, quolibet in loco, quolibet prætextu, vetito. Ita porro nauibus iisdem, quæ exhibitæ, Antvverpiam vehuntor.

VIII.

Præfecto, cæterisque, quibus jus in militem, Tribunis, Militarium cauſarum cognitoribus, qui ſub Hiſpano merent, relliquiſque quiqui munere vllo aut ſtipendiis fruuntur, ſacri aut diverſi inſtituti, nullâ lege exceptionis aut diſcriminis, ad vnum omnibus ac cuiq; nec non viduis earum liberisq; qui vel quæ in vrbe domos, fundos, reditus, quà fide atq; autoritate Ordinum Brabantiæ,

Brabantiæ, quà priuatorum domibus atque areis fundatas, quæ-vis denique immobilia mouentiaque, poſſident, biennium, poſt ſubſignatum pactum ac conuentum, ſingula vendendi, transferendi, vbi viſum deponendi, quouis modo de iiſdem ſtatuendi, jus tribuitor. Ipſi vero ædibus, reditibus, locationis precio, atque aliis quêiscunque, ſeu jam partis, ſeu paratis, cujuscunq; modi generisue fuerint, interea fruuntor.

IX.

Tribuni, militesque, cujuscunque dignitatis, ordinis, ac loci, liberos, vt viſum, conjugesq;, intra vrbem ad præſcriptum tempus relinquunto atque habento. qui de ſingulis mouentibus atque immobilibus, quà intra oppidum, quà extra ſitis, ſine exceptione ſtatuunto. Quibus interim jus fiſci manuumque injectio abeſto.

X.

Tribunis militum, militibusq;, quotquot munere obito aut curâ intra tempus jam præſcriptum defunguntur, in Vrbem redeundi, iiſdemque pactis ac conditionibus cum ciuibus atque inquilinis perfruendi, jus eſto. De quo tamen Principi Auraſio, aut oppidi Præfecto, antea conſtato.

XI.

Tribunos, militesque, bona, vtenſilia, quæ cuique, ac impedimenta, ſiue cum præſidio, ſiue ægri adhuc ſauciique, poſt curationem Vrbe excedant, nemo debiti vllius causâ ſiſtito atq; inhibeto.

XII.

Vtrinq; capti, cujuscunq; ordinis aut loci, absq; lutro aut redemptionis precio, nec alio quam victus perſoluto, inter partes conſtituto, liberi ac ſui ſunto.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

XIII.

Præda quæuis, ab vrbanis, quà obſidionis tempore, quà ante parta, ſine vlla reſtitutione, penes eos permaneto.

XIV.

Poſt ſignata pactionis capita, Præfecto Vrbis, delegatum, ſiue nuncium, ad Sereniſſimam Hiſpaniarum Principem, cum commeatu libero, mittendi protinus, ſententiæ ac menti ejus de conuentis pactionibusque inquirendæ, vel eodem die, quo ſignata pacta ac conuenta fuerint, jus liberum ac venia conceditor.

XV.

Simul de conditionibus conuenerit, Præfecto, cæteroque militi, parando abitu ex Vrbe ac diſceſſu, biduum ad minimum permittitor. Poſt quod, Ipſe, Tribunique, ac Præſidium, diſceſſum abitumque promittunto. Die Lunæ proximo, nimirum, qui Septembris decimus ac ſeptimus, cum primâ luce.

XVI.

Eo autem biduo, neque ex obſeſſâ vrbe, quisquam caſtra penetrato, neque è caſtris, perturbationi evitandæ, oppidum adito. Quisque intra aggeres continuos ac munimenta ſeſe contineto. Neque interea, acceſſus promouendi, aut hoſtilia agendi, cuiquam jus eſto. Cui rei obſides vtrinque admittuntor.

XVII.

Præſidium vrbanum, cum obſidibus duobus, quibus id à Principe mandatum, exeunto. qui cedenteis oppido cum armis atque impedimentis, Dieſtam vſque comitantor. Totidemque alii, Præfecti juſſu, caſtris noſtris aſſiſtunto: quoad obſides à Principe legati, pariter ac currus, reditum capeſſant. Poſt quæ Princeps, obſides ab hoſte miſſos, comitatu

libero

libero ac commeatu, Dieſtam vſque ſedulo deduci fide publicâ curato.

XVIII.

Centurionibus, Tribunis, cunctis denique, de quibus primo Pactionum capite actum, quibus, arma, cymbæ, ſcaphæ, aliaque belli inſtrumenta, propria ac ſua poſsidentur, fas ac liberum, venundare ea ac transferre, ſine vlteriori inquiſitione, aut eorum noxâ, quibus ea empta, aut translata fuerint, jus eſto. Equi item, arma, merces, aliaque, prædæ nomine ac causâ, jure vendita, aut jam poſſeſſa, abſque vllius fraude, aut inquiſitione, ſuis propria ac ſalua permanento.

XIX.

Tribuni, militesque, qui Bredano è præſidio vocati, in Vrbe hactenus ſtipendia fecêre, ipſi pariter cum ſuis, Bredam redeunto. In quam rem, iiſdem currus, quot ſuffecerint, equique, transvehendis rebus atque impedimentis, miſſo obſide, ac dato commeatu, quo euntes fide, vt quisquam optimâ, incolumes ac ſalui deducantur, aſsignantor. Eo modo, quo jam primo capite Pactorum, memoratum. quo & ipſi continentor.

In Caſtris ſtationibusque ad Syluam Ducis IV Septemb. Anno CIƆ IƆ C XXIX. Subſignatum,

FRED. HENRICVS NASSAVIVS.

A. DE GROBBENDONC.

I. IVNIVS.

Signatum Principis ſigillo.

INDEX RERVM.

A.

AA obſtructus. 38
Ærarium. 2.6
Agger Batauorum, munimentum obſidentium præcipuum. 36
Agricola cum literis interceptus. 42
Ambroſius Spinola. 18
Amerfurtum. 82.86.87.ab hoſte occupatum. 88. direptum. 108. relictum. 108
Amerfurtenſes milites animoſi. 84
Amerfurtenſium pactionis cum hoſte leges. 84. perturbatæ res. 89. vulgi concitatio. 90. fœminarum pudicitia inuiolata. 108
Amerfurtenſium mulctæ & querelæ. 109
Amſtelodamenſium præ cæteris promptitudo. 76
Amſtelodamum Montecucullanus ſperare auſus. 80
Anatum captura. 34
Antonii caſtellum. 40. oppugnatum. 61.97. expugnatum. 62.99
Antonii Grobbendoncquii Baronis difficultates. 28. liberi vrbe exeuntes à Principe commeatu donati. 31 ſubvrbanum. 34. ſuper transfugâ aſtus. 106
Antonius Grobbendoncquius quomodo cuncta aduerſus obſidionem apparârit. 31.32
Antonius Tendelius. 117.119
Apelmanus. 132
Apparatus bellici efficacia. 25
Arma. quid poſt arma expectandũ. 81
Armis quid prævaleat. 76
Armamentarii Syluæducenſis luſtratio. 136
Arenaci fruſtra aduerſus hoſtem in Veſalia ſubſidia tentantur. 69. ejus afflictus ſtatus extra & intra. 74.75
Arenacum à Principe luſtratum. 138
Arnemus. 66.111
Artes inter arma. 1
Aſtelæus. 61.62.101.102.126.127.
Auaritia lubidini nonnunquam impedimento. 108
Auſtriaci ſplendoris incrementum, Regis Bohemorum calamitas. 3
Autoritas ſucceſſus parum proſperos tuetur. 118
Autoritas cum levioribus commiſſa, ad majora vim amittit. 139

B.

BAchlouchius. 25
Balanſonius, Bredæ gubernator, obſeſſis ſubſidia mittit. 34
Balanſonii æmulatio. 105
Barbanſonius. 65.105
Baſilius Comes Fuldingus, Britan. 127
Baſſumius. 70
Batauiam teneri, Romam perſcriptum ab imprudenti Hiſpano. & quodnam ſuper eo nuncio Pontificis judicium. 79.80
Bauvaiſius Baro, à parte Hiſpani. 49
Belgarum Fœderatorum animus ac virtus. 1
Belgæ, quibusnam virtutis occaſionibus, ad bellum deuenerint. 9
Belgæ externis extra libertatem peregrini. 72
Bellimontiani equitis virtus. 104
Bellorum cauſſæ ſæpe à religione. 124
Belli jus, quidnam nonnullis vocetur. 7

Belli

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

Belli momenta moram non admittunt. 30
Bellum continuum cum Hiſpanis, mari oneratum. 7
Bellum de pace, ob diverſas plebis ſuper induciis faciendis partes. 139
Betauia Geldriæ pars. 65.66
Bohemiæ rex. 3
Bojêrus legionis præfectus. 68
Borneuillii, ducis hoſtici, irritus conatus. 46.48
Bouillionêus dux. 25.48.104.105
Boſſica foſſa, *de Boſſeſloot*. 36
Boſſius. 42
Boxtela arx. 49
Breda, virtute magni ducis Spinolæ expugnata. 4. quantis impenſis. 4
Bredanæ vrbis conditio ex amiſsâ Sylvâ Ducis. ibid.
Brederodius, Trajecti moderator. 33. 40. 42. 62. 76
Breuautêus, ejuſque certamen deſcriptum. 50. & deinceps.
Britanni cujuſdam fortitudo. 99
Britannorum virtus. 102
Brochius. 25
Brouchumius. 131
Buricum. 142
Buſcoducum, vrbs Taxandriæ. 19

C.

CÆſareani ad obſidium imparati. 114
Cæſareanus Propræfectus crus frangit. 108
Cæſareani militis faſtuoſa confidentia. 70
Cæſareani de hybernatione in Velaviâ cogitant. 137. à Principe fine ſuo fruſtrati quomodo. 137. & eorum exceſſus. 138
Cæſareani famis neceſſitatem quo pacto auerterint. 78
Cæſareanorũ adventus. 63. deſcriptio. 63. numerus. 80. ſcelera patrata. 80. 88. 89. 108. ſtipendium militare. 78.
Cæſius. 88
Cairus. vide *Lucas*.
Calamitas licentiam extorquet. 130
Calamitatis auctarium quodnam. 132
Calamitati quoque publicæ autoritatem accedere oportet. 132
Campinia, quæ regio. 19.21
Campus, locus Amerfurti à Cæſareanis direptus. 108
Candalius. 25.57.60
Caremannus, Senator Amerfurtenſis. 86
Carolus Coloma. 18
Carrius. 132
Caſallum. 18
Caſtellorum oppugnatio. 40
Caſtellum inter Dousburgum ac Zutphaniam vi expugnatum à Bergio. 74
Caſtra Principis, cum quibus aliorum connexa. 34.35
Chattillonêus. 25.40
Catarracta à Mudenſibus ſoluta. 77
Cecilius. 25
Centurio caſtrenſis transfuga. 105. 106
Certamen equeſtre Lyram inter ac Bredanam urbem. 104
Certandum non tantum opibus, ſed & penuriâ, cum opus. 76
Claſſis Hiſpanica anni cIↃ IↃc xxviii. 12. prædæ magnitudo. 15
Claudius Borlotta. 50
Clementiâ qui vincit, bis vincit. 132
Cliuiorum ſedes. 114.116
Cochleæ Vitruuianæ. 107
Cognitis inſiſtendum. 141
Cognomenta. in iis Batauorum mos. 8
Coligniorum ſtirps. 5
Collegia Prouinciarum Hagâ Trajectum tranſlata. 91
Collium à difficultate diſcrimen uti ſublatũ obſeſſoribus Sylvæ Ducis. 38
Coloma. vide *Carolus*.
Conſtantinus Hugenius. 106
Contemptus Belgarum Fœderatorum, unde. 3
Copiæ hoſtiles tripartitæ. 110
Corduba. vide *Gonzalus*.
Cornutum opus juxta Hintumanam. 126

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

Cortomerus. 25.102
Credulitas ſecura eſt. 28
Croatæ, belluarum pars. 80. eorum deſcriptio. 80.81
Cura diligens tuendi ſingula, optimum contra graſſantem hoſtem remedium. 81

D.

DAbſius tribunus militum. 67
Dammius Amerfurtenſis. 88.109
Dani Trajecto defendendæ cæteris adduntur. 76
Delictorum nonnunquam obuia in exemplum emendantur, grauiora felicitate delinquentium teguntur. 109
Deperreſus. vide *Philippus*.
Dibbetius conſul. 67
Didiacus. vide *Martinus*.
Didius. vide *Ottho*.
Diesdorfii, moderatoris legionis hoſticæ, irritus conatus. 46.48.78.125
Dimidiata luna ad Hintumanam preſſa. 102. expugnata. 126
Dommela qui obſtructus. 37
Douchantius. 57.97
Drieſius. 118
Dubii ſucceſſus ad diſquiſitionem ac conſilia, cùm de ſummâ rei agitur, non admittendi. 141
Ducum primorum ad Syluam-Ducis comparatio. 142
Dulquius. vide *Matthæus*.

E.

EDuardus Verius. 25.102
Egeſtas, diſciplinæ ac obſequio aduerſa. 81
Eloquentiæ contemptus. 16
Erneſtus Caſimirus Comes Naſſouius. 25.27.40.42.62.75.77. Arenacum ſubſidio miſſus. 75. Hattemum milite inſtruit. 112
Erneſti Caſimiri conſilia. 124
Euentuum mira varietas. 66
Exiſtimationis modus à ſucceſſu aut fortunâ. 4

F.

FActionibus occaſio & munimentum unde. 124
Fama bellum & alia antecedere ſolet. 16
Fama inuſitata atque inſolita faciliùs perſuadet. 81
Famarſius. 25. ejuſdem mors. 57
Felicitatis ſubitæ conditio. 73
Ferentius. 94
Feſtinatio lubidini impedimento eſt. 108
Fides. inueniri qui pauciora credunt quàm perſuadent. 33
Fides ſemper in ſpem prona. 8
Fides ac liberalitas Plebis, Patrum, Vrbiumque. 76
Fiducia pro armis. 108
Firmis inſiſtendum. 141
Flagellorum frumentariorum uſus. 98
Fluminum obſtructorum ratio in obſidione Syluæ Ducis. 37
Franciſcus Loſanus, Veſaliæ Præfectus, Hiſpanus. 116.117. captus. 122
Franciſcus Michaëlius Ophouius. 133
Fredericus Henricus, Auraſius Princeps. 5. ſucceſſor Fratri deſignatus. 6. abdita conſiliorum aduerſæ partis uti penetrarit. 48. Syluam vi aggrediundam hortatur. 95. 96. rei ſucceſſum differendo, promouet. 124. inter operas in vineâ repertus à parte tranſigente. 132
Frederici Henrici Principis ad oppugnandam Syluam-Ducis iter, exercitus, & caſtrametatio. 24.25.26. in difficultatibus ſeveritas. 26. obſeſſio. 27. ſollertia in intricandâ famâ. 26.27. in obſidio contra Bergium confidentia. 34. alacritas & intentio præſentis inter operas & cuſtodias. 35. 44. 46. excubiæ. 45. animoſa præſentia diligentiaque. 54.55.56. conjux. 56. trajecto Iſalâ ab hoſte commotus. 73. conſilium. 74. cura vigilantiaque quanta. 77. moderatio. 140
Fuldingus comes. 127

G. Gal-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

G.

GAllia. 2.3
Gallicæ pubis odium in Grobbendoncquium. 50
Gerardus Abrahamides. 51
Germania. 3
Gojêrus. 109
Golſteinius. 77
Gonzalus Corduba. 18
Grammaii Taxandria. 29
Grauia. 64
Grenadæ. 57
Grobbendoncquius. vide *Antonius.*
Grolla expugnata, primum Frederici Principis ſpecimen. 6
Gruno Scotus. 113

H.

HAcſortius. 66.69
Hacquettus. 25
Harcourtius. 127
Harwodus. 25.75.61.62
Haſevinda, caſa Syluæ-Ducis. 20
Hattemum de obſidione ſollicitatum. 110. ejus ſtatus internus & externus ob hoſtem graſſantem. 112.113
Hattemenſium generoſa mens. 112. in oppido defendendo fortitudo. 113
Hattemenſium matronarum induſtria in hoſtili difficultate. 113
Haucincourtius. 54
Hautainius, Sluſæ Præfectus. 76
Hauteriuius. 25.75.77.142
Hemum arx à Montecucullano occupata. 88
Henricus Bergius. 18. ad omnia incertus. 26.27.64. Iſalam trajicit. 71. ibi conſilia. ibid. Belga. 71. Belgarum rebus æquus. 89. æmulationis Hiſpanorum occaſio. 71. qualis imperator. 43. animo hæret ob captam Veſaliam. 125. Velaviâ excedit. ibid.
Henrici Bergii iter Bruxellâ ad liberandam Syluam-Ducis. exercitus, &c. 43. indignatio. 43.44. conſilia. 44. conatus in ſoluendo obſidio. 46. 48.49.64. perplexa ſpes. 47. inſtitutum. 48. anxietas. 50. ſuper inſtituto Montecucullani judicium. 81. litteræ ad Amerfurtenſes. 83. ſuper captâ Veſaliâ ſtupor, & voces. 114
Henrico Bergio miles Hiſpanorum adverſatur. 42. imperandi munus commiſſum. 43
Henricus Herbertus. 102.128.130
Henricus Meſchedêus. 117.119
Hermannus Coultienſis. 67
Hermanni Hugonis de Bredanâ obſidione commentarius. 4
Heſevicum, arx, in deditionem accepta. 26
Hiſpana gens ad ciuiles curas nata. 7. quantas cum Belgis ſuis æmulationes exerceat. 17. animoſas voces projicit. 123
Hiſpanæ gentis ignorantia in rebus Belgicis. 17. proprium, contemnere hoſtem. 30. è diſſidio negligentia. 71. æmulatio & liuor in Bergium. 71 conſilia varia. 72
Hiſpani odium inter Belgas quale. 9. 10. querelæ. 7. terror quid valeat. 141. quando belli ſucceſſu minor, quæ ars in erigendis ſuorum animis, noſtrâque diſtrahendâ plebe. 138
Hiſpanienſium ſeditio. 42
Hiſpania. In Hiſpaniam vt tarde pleraque, ita ſero perferuntur. 30
Hohenlous. 23
Hajus. 75
Hoſtile jus in armis. 89
Hoſtis ad obſidiones validas imparatus. 107
Hugenius. vide *Conſtantinus.*
Hugenius Senator. 67.68.69
Hugenius centurio. 118.120
Humanæ mentis vitium, in rebus ſecundis, & quum in partes itum. 5
Hyberna noſtrorum. 138

I.

IAcobus Witſius. 24.46.130
Ignorantiâ multa diriguntur. 125
Indica ſocietas. 6.7
Induciarũ agitatio. 138.139. inter proceres. 140.141
Infelicitatem premi, felicitatis pars. 125
Inſolita quidã, ut abdita, mirantur. 132
Ioannes Hermannus. 133

Ioannes Morſius. 133
Ioannes Mylius. 53
Ioannes Naſſavius. 79.125.126
Iſabellæ caſtrum. 40. oppugnatum. 57 58. preſſum. 58.60. occupatū. 60.61
Iſelburgum caſtellum. 141
Iſelorda petitur. 68
Iſenburgus Comes. 126
Iſendornius. 113

L.

LAvicus. 120
Lex omnium majeſtas. 2
Libelli, vetus malum, ac ciendis odiis repertum. 139
Liberalitas ac fides Plebis, Patrum, Vrbiumque. 76
Libertas perfecta. 2
Libertas contentionum finis, ac initium defectionis. 21
Libertatis vitia nonnullos acrius impellunt quàm cura. 140
Libertas qui certiſſime defendatur. 114
Libertati modum ponendum; quam everti, ni cohibeatur. 140
Libertatem nihil æque ac ſeruitus commendat. 124. Regia pars ſeruituti ſuæ contra noſtram libertatem fauet. 90
Libertate & corpus & animus firmatur. 1
Literæ interceptæ. 42.49.64.91.92.
Loſanus. vide *Franciſcus.*
Lucas Cairus, Lingæ Præfectus. 65.66
Ludovicus Oliuerius, Hiſpanus, S. Salvatoris Præfectus. 10

M.

MAjeſtas legum. 2
Malum Punicum. 57
Maphæus Barberinus Pontifex. 80
Marquettius. 118.120
Martini Didiaci Hiſpani literæ interceptæ. 91
Matrona quædam miſere à Croatis excepta. 81
Matronarum generoſitas in difficultate hoſtili. 113
Matthæus Dulquius, olim Grollæ gubernator ſub Hiſpano. 6.28.66
Mattiaci fortiſſima gens. 7
Mauricius Arauſius Princeps. ſub eo qui rerum ſtatus. 2
Mauricii Principis mors. 4. ſuper eâ variorum ſententiæ. 4
Mauwius extinctus. 48
Menapiorum ſedes. 114
Menius. 94
Meſcedêus, vide *Henricus.*
Miles, ni æs ad manum, turbidus. 18
Militis cujuſdam fortitudo. 100
Militum obſidentium alacritas. 96
Militum Syluam obſidentium & obſeſſorum dicteria atq; contumeliæ ſparſæ inter ſe inuicem. 124
Militare vulgus ex victoriâ aſſurgit. 126
Miſeriæ humanæ auctarium quodnam. 132
Modeſtia efficax noſtro militi probata. 123
Molæ aquariæ. 107
Montecucullanus. 78. 79. de Amſtelrodamo cogitat. 80. Amerſurtum oppugnare inſtituit. 82. occupat. 88. tributorum exactor. ibid. Hemum arcem occupat. ibid. Amerſurti expugnator. 110. temere oberrat. 125
Mora ac cura diligens tuendi ſingula optimum contra graſſantem hoſtem remedium. 81
Morganus. 25.76.91

N.

NAndo acceſſus tentatus ab hoſte. 49
Nauta Sylua capta inſigne Arauſienſe primus in turri figit. 135
Neglegentia Hiſpanorum unde. 30
Neceſſitate vbi hoſtis vinci poteſt, pugnandum non eſt. 81
Nicolaus Mylius. 136
Nouitatis major quàm religionis cura. 136
Noxæ propior quis. 141

O.

O Bremontius. 132
Occaſio. ſine occaſione optantur magis magna quàm ſperantur. 117
Oldenſala. 6
Ophouius. vide, *Franciſcus*.
Opinione multa diriguntur. 125
Orthena, Sylua-Ducis. 19
Otho Didius. 25.60.61. 75.77.116.118 120

P.

PAgi Velauiæ qui ignibus abſumpti. 88
Palatinus Rheni. 3
Pannonia. 80
Parchevallius. 42
Partium ſtudia in Rep. 2
Petreius. 53
Petrus Heinius. 8. in Hiſpaniâ captivus. 9. S. Saluatoris vrbē expugnavit. 10. claſſem Hiſpanicam aggreditur & expugnat. 12
Petri Heinii cum prædâ claſſis Hiſpanæ reditus & gratulatio. 15. mors; & qualis. 58. vitæ pericula. 59
Petrus Mullerus, ciuis Veſalienſis. 117
Pettelanum preſſum. 62. deditum. 135
Philippi Deperrêſi literæ interceptæ. 92
Pietatis cura odio nunc, olim caritate, valebat. 133. 134
Plebis officium & natura. 2. à Principatu differentia. ibid.
Plebes non ſemper errat. 139
Plebes futuri auida. 16
Podwelſius. 40. 61. 133
Populare ſtudium. 2
Porciana vinea. 102
Principatus & plebis differentia. 2
Principum fatum. 56
Princeps dubitandi cauſas in vulgatis rumoribus propter hoſtem etiam apud ſuos clam auget. 16.17
Princeps ſupra ſuos altius ſe non effert quàm cùm vno ſe minorem gerit. 114
Procerum collegia Hagâ Trajectum tranſlata. 91. prouida cura. 55. 91. 92 93. officium. 2. dubia aut falſa de proceribus relata, veritatis ſpecie imponunt. 141. res à proceribus prudenter geſtæ. 94
Pſittaci gratulatio ſuper expugnatâ claſſe ab Heinio. 14

Q.

QVa dus Viqueradus. 118. 20
Quæſitor militaris transfuga. 105 106

R.

REgia pars ſeruituti ſuæ contra noſtram libertatem fauet. 90
Reipublicæ emendatio quibuſnam in rebus conſiſtat. 2
Reſpublica. corruptorum in Republicâ aut minùs firmorum, conditio ſingularis quæ. 138
Relligionis interdictæ major in mentes vis: ſi permittas, aut ſecundis rebus, vix à conſuetudine diſtinguas. 124
Relligionis libertas, etiam ſuæ, Hiſpaniæ cur improbata. 132
Relligionis cura, nunc odio, caritate olim, valebat. 133.134
Rerum geſtarum ad obſeſſam Syluam, & ſubſidiorum, aliorumque ejus generis breuis repetitio. 141
Ringelberga caſtellum. ibid.

S.

SAlazarrus Comes Boxtelam ārcem occupat. 49. temere oberrat. 125
Saluatoris vrbs. 10
Scetſiorum gens. 27
Schraſſerus. 111.112
Scoti, durum & infractum genus. 68
Scotorum virtus. 104
Securitas Hiſpanorum unde. 30. eâ ſæpe haud minùs tuti quàm virtute noſtrâ ſumus. ibid.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

Seruitus. Regia pars ſeruituti ſuæ contra libertatem noſtram favet. 90
Sperare nemo cogitur, quia proni omnes. 30
Sperare. proni omnes ad meliora ſperanda. ibid.
Spes ad diſquiſitionem & conſilia, cùm de rei ſummâ agitur, non admittenda. 141
Spes & metus ſuprema rerum moderantur. 138
Spes ſubſidii & conſiliorum ex Hiſpaniâ, lentæ. 30
Stakenbroucquius. 25.104.105.141
Statiua addititia contra Bergium. 45
Stiromius Comes. 25.27.65.75
Sueci Amerfurtum miſſi. 82
Suggeſtum magnum. 100.102
Suſa, urbs Sabaudiæ, à Gallo expugnata. 18
Swatſenbergius. 68
Swollenſes milite Hattemenſes augent. 112
Syluæ-ducenſes quales. 20.21. quâ occaſione olim à Fœderatis defecerint. 20.21. fœminæ. 21
Syluæ-ducenſium conatus in perfringendo aggere. 104. obſeſſorum contentiones inter ſe. 106
Sylua-Ducis, vrbs Taxandriæ. 19. Orthena dicta. 19. quarta inter principes vrbes Brabantiæ. 20. quæ, qualis & quanta. 21.23. ejus magnificentia & ſplendor. 20. 21. ſitus & caſtella. 23. inexpugnabilis habita. 23. à quibus oppugnata. 23. 24. virgo. 30
Syluæ-Ducis aggrediendæ cauſſæ. 17. obſidium temeraria judicia quænam antegreſſa Bruxellæ. 29. 32. obſidii cœpti celeritas. 30. 35. & opera. 30. 31. extruendorum operum ratio. 35. modus & partes. 36. expugnandæ ſummũ opus, & propugnaculum quod & quomodo expugnatum. 127. cuniculo opere excuſſo, quantæ turbæ in oppido. 129. deditio poſtulata, & transactio agitata. 131. conſummata. 133. deditionis leges. 133. militis egreſſio. 133. 134. egreſſionis ſpectatores teſteſq;. 133. Præfecti conjux. 134. relligioſi. ibid. Grobbendonquius. ib. ejus effatum de *Batauiâ ſapiente*. ibid. Principem ſalutat. 135. in obſidione quotnam ceciderint, & quot ægri reperti. ibid.
Syluâ expugnatâ noſtri ingrediuntur. 133. 134. primæ quæ curæ. 136. ſermones imprudentium de hoſte in vitalibus graſſante. 136. 137. & induciis. 137

T.

TArditas noſtrarũ partium fatalis. 69
Tempeſtas atrox. ibid.
Tendelius. vide *Antonius*.
Terror latius ſpargitur quàm arma. 72
Tertullianus Dorpius. 82
Theodorus Falckeburgus, Suecis præfectus. 76. 94
Theodorus Nielſius. 63
Tienius. 138
Toxandri. 19
Transfugæ ad noſtros. 105.106.126
Transfugæ cum columbis. 106
Turba nulli magis numero quàm ſibi grauis eſt. 78

V.

VAricus, legionis præf. 25.65.69.70
Velauia, Geldriæ pars. 65.66
Velauicus ager. 78
Velitationes primæ obſidentium Sylvam, cum hoſte. 48
Verius. vide *Eduardus*.
Verreickius. 48
Veſalia. 63.114. capta. 120.121.122. numinis grauiſſima argumenta in captâ Veſaliâ. 121. periculum è ſpoliationibus militum. 122. à Principe luſtrata. 138
Veſaliæ in oppreſſione quot capti, cæſive. 122. Hiſpanorum ſigna in expugnatione quot. ib. præda quanta. ibid. quorundam Hiſpanorum facetiæ & ſtrategemata. 123. capti templo incluſi. ibid. occupatæ facies. ibid.

Vetita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

Vetita, & impunita, commendantur. 139
Victoriæ ob Veſaliam in caſtris Syluæ-Ducenſis celebratæ. 124.125
Vinea magna, vel Porciana. 102
Viqueradus. Vide *Quadus*.
Virtus. ad eam nonnullos cogi, quoſdam efferari. 9
Virtutis contemptus. 16
Virtute parta, eâ optime ſervantur. 80
Vitenvallius. 57
Vrbanus Octavus, Pontifex. 80
Vrbes in deditionem poſtulatæ ab hoſte graſſante. 107
Vtenengus. 52
Vuchtana porta Syluæ oppugnata. 126. expugnata. 127
Vulgus propriâ opinione tutiùs ad moderationem duci quàm ſuperiorum metu. 141
Vulgi Caſtrenſis alacritas. 45

W.

Welderenus Propræfectus. 69
Wilelmus Arauſius Princeps. 2.5
Wilelmus, Comes Naſſauius. 25.27. 45.65.102. quantâ celeritate ſuburbanum Grobbendoncquii inſederit. 34.35
Witzius. Vide *Iacobus*.
Wolfius. 122

Z.

Zutphanienſis ager. 65.66.

FINIS.

AMICO LECTORI,
de mendis Typographicis.

AMICE LECTOR, Cum percurrendis paginis deeſſet nobis tempus, pauca hæc notauimus. pag. 6. *Quæ componi*. pag. 20. *Plurima cum Geldris*. pag. 21. *Hekelæ*. pag. 23. pro *lineam horizont*. *loricam horizont*. p. 33. *aduerſis cedat*. p. 109. *arce Hemo*. p. 139. *vt fere in populo fid.* p. 139. *fulciretur*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

935

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

HEINSIUS, D. Rerum ad Sylvam-Ducis
gestarum. L.B., 1631.

Oranje-Nassau-Boekerij
n. 149

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18

935

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 B 18